

BX8064 .B28

Patres Latini Lutherani:
Latin Readings from the

PATRES LATINI LUTHERANI

Latin Readings from the First Two Centuries
of Lutheranism

Compiled by Walter J. Bartling

PREFACE TO THE SECOND EDITION

The need for a new printing of this reader has provided an opportunity to make a number of improvements in form and content. Lines have been numbered to facilitate reference, and the text has been printed on only one side to provide ample room for notes.

In a few instances new readings have been substituted, and the total number of readings has been increased by about one half. The principal additions are in the selections from Luther, Melancton, and Gerhard. There should now be ample material to provide some latitude in the choice of selections for prepared and for sight translation.

Marian Henke and Lynn Havener shared the major burden of preparing the text for printing, and William Brandenburg again supervised the production of the printed copy. May their labors be rewarded by the occasional spark of interest that these pages will arouse in the mind of some unwary student.

Concordia Senior College
Fort Wayne, Indiana
March 6, 1965

Walter J. Bartling

FROM THE PREFACE TO THE FIRST EDITION

This group of selections from the Latin writings of sixteenth and seventeenth century Lutheranism is meant to supply reading materials for a pre-ministerial course in Church Latin. Most of these works are available only in early folio editions and are inaccessible for classroom use. The principle guiding the choice of selections was that they be representative of some of the major authors and that they reflect some of the major theological concerns of early Lutheranism. Here the student will find examples, not only of confessional and dogmatic writings, but also of historical and polemical, biblical and exegetical, practical and devotional works. Four authors - Luther, Melancton, Chemnitz, and Gerhard - are represented by relatively lengthy selections. In all cases, however, it seemed advisable that the individual selections be large enough both to present a complete and unified thought or argument and to yield lasting impressions of the authors who are represented.

Although the immediate concerns of the course are linguistic, the ultimate purpose is to stimulate interest in the primary documents of one of the most important epochs in the Church's life. Not even the most inept choice of readings can fail entirely, for, in spite of the fusty Latin, most of these works still have vitality and a compelling immediacy. Thus the ultimate purpose of the course may subserve the immediate purpose: the student may learn some Latin in spite of himself.

The student may at first regret the absence of vocabulary aids and explanatory notes. Yet if he is ever to refer to these works, he must learn to rely on the resources with which his previous study of Latin has equipped him. Virtually none of these works has been translated and it is highly unlikely that they ever will be. For years the student has been told that one of the primary purposes of his Latin studies was to enable him to read Latin theological literature. If this goal is to become a reality, he must sooner or later develop confidence in his ability to tackle a text unaided.

Except for the correction of obvious printer's errors, the orthography is that of the editions employed. Some of the spelling and punctuation will seem barbarous; it is, however, the spelling and punctuation with which the student must familiarize himself.

All of the editions cited are available in the library of Concordia Senior College. Thanks is due the librarians for their kind assistance in rescuing these books from the accumulated dust of generations.

October 23, 1958

Walter J. Bartling

Table of Contents

	Page
Martin Luther	1
Philip Melanchton	44
John Brentz	86
Martin Chemnitz	89
Matthias Flacius Illyricus	102
Aegidius Hunnius	112
Leonhard Hutter	117
Friedrich Balduin	122
John Gerhard	129
George Koenig	150
Solomon Glassius	154
Johann Benedikt Carpzov	156
Johann Quenstedt	159
Abraham Calov	166
Johann Baier	170
David Hollaz	172

MARTIN LUTHER (1483-1546)

Unless otherwise noted the Luther selections are taken from Luthers Werke in Auswahl, a series of student editions begun in 1912 under the editorship of Otto Clemen. The first selection is from the Scholia on the Psalms, dated 1513/15. Werke, vol. V, pp. 118-122.

PSALMUS I.

Iste psalmus sicut est vulgatissimus, ita certe difficillimus presertim in versu quinto: super quo tot sunt penè expositiones allate, quot fuerunt exposi-
10 tores. Quia Apostolum pro nunc sequi volumus Ro. 3, qui per ipsum probat, quod omnis homo sit mendax et peccator, solus autem deus verax et iustus. Quod debet intelligi de iis hominibus, qui nondum a deo sunt iustificati et deo coniuncti, quoniam tales sunt iusti et veri. Dicit ergo: 'Est autem deus verax et omnis homo mendax, sicut scriptum est: Ut iustificeris in sermonibus tuis
15 et vincas, cum iudicaris.' Et sequens infert Corollarium secundum quosdam. 'Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat &c.' Hoc enim sequi videtur ex isto 'Tibi peccavi, ut iustificeris': quasi non possit iustificari, nisi nos peccemus. Sed hoc sic debet intelligi propositiones ponendo.

20 Primo. Omnes homines sunt in peccatis coram deo et peccant, i. e. sunt peccatores vere.

Secundo. Hoc ipsum deus per prophetas testatus est et tandem per passionem Christi idem probavit: quia propter peccata hominum foecit eum pati et mori.

25 Tertio. Deus in seipso non iustificatur, sed in suis sermonibus et in nobis.

Quarto. Tunc fimus peccatores, quando tales nos esse agnoscimus, quia tales coram deo sumus.

Tunc sequitur. Qui non est peccator (id est se non confitetur peccatorem), manifeste contendit deum condemnare in sermonibus suis, quibus nos in
30 peccatis esse testatus est. Et Christum non pro peccatis mortuum esse contendit. Et sic iudicat deum et mendacem facere nititur. Sed non vincet neque prevalebit, prevaluit autem deus. Et tales fuerunt Iudei et sunt usque hodie. Unde multe sunt tales auctoritates in Euangelio et Apostolo, que videntur nos inducere, ut peccemus: cum non aliud volint, nisi ut confiteamur et agnoscamus nos esse peccatores. Dicit 'Tibi soli peccavi'. Et sic tunc iustus et
35 verax in sermonibus efficitur, quibus nos peccatores declaravit. Et vincit, quia false iudicatus fuit. Et qui dicit 'Tibi peccavi soli', excludit iustificationes legis: q. d. Non confiteor de peccatis contra legis ceremonialia: quia talia sunt figuralia peccata et per legem auferibilia. Sed de iis, que lex nullo modo
40 potest auferre, nullis hostiis, nullis lotionibus aut ritibus. Ideo tibi soli peccavi, quia de veris peccatis confiteor, non de unbraticis. Quia 'ecce veritatem dilexisti'. Et sic est expressio precedentis versus, quale sit peccatum suum, quod cognoscit, quia non figurale neque per sanguinem hircorum auferibile.

Et taliter peccata confiteri, hoc est: deum iustificare et victorem facere. Cui repugnant Iudei usque hodie, qui per sanguinem hircorum peccata volunt auferri et figuralia tantum peccata estimant. Unde

5 Ista repugnant { Negare se peccatum habere aut non confiteri: et deum
iustificari.
Se ipsum iustificare coram deo: et deum glorificare.

Quare a nullo iustificatur, nisi ab eo, qui se accusat et damnat et iudicat. 'Iustus enim primo est accusator sui' et damnator et iudex sui. Et ideo deum iustificat et vincere ac superare facit. Econtra impius et superbus primo est excusator sui ac defensor, iustificator et salvator. Quare ipso facto dicit deo salvatore se non indigere, et iudicat deum in suis sermonibus et iniustificat ac mendacem et falsum arguit. Sed non prevalebit, deus enim vincet.

Quod si adhuc quis non intelligat, quoniam nullus iustus est coram deo, qui solus iustificatur, sequitur clarior expressio: 'Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum' (50, 7). Ergo verum est, quod tibi sum peccator et peccavi, ut tu solus gloriosus sis in iustitia et iustificeris solus, quando omnes sumus peccatores. Et verum est. Quia adeo nos coram deo sumus iniusti et indigni, ut quecunque facere possemus, nihil coram eo sint. Immo et fides et gratia, quibus hodie iustificamur, non iustificarent nos ex seipsis, nisi pactum dei faceret. Ex eo enim precise, quia testamentum et pactum nobiscum foecit, ut 'qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus sit', salvi sumus. In hoc autem pacto deus est verax et fidelis et sicut promisit, servat. Quare verum est nos esse in peccatis coram illo semper, ut scilicet ipse in pacto suo et testamento, quod nobiscum pepigit, iustificator sit. Unde litera Hebraica sic: 'Tibi soli peccavi, propterea iustificabis in verbo tuo', i. e. pacto tuo. Qui ergo non peccat nec peccatum confitetur, hunc non iustificat deus in pacto: quia 'qui non credit &c.', eo quod non possit deus . . .

Dicit autem 'Tibi soli' propter peccata legalia, que etiam per legem mundari potuerunt, ut tactus mortui, pollutio corporalis &c. Talia enim peccata sunt coram lege, et Mosis potius in his quam deo peccatur. Dicit 'peccavi', scilicet vero et spirituali peccato, de quo ps. 18. 'ab occultis peccatis meis munda me'. Et hoc est 'iudicium', quod 'diligit honor regis' et amat dominus: scilicet seipsum accusare et iudicare. Et tunc iustificatur Dominus in verbis suis. Ut infra ps. 141. 'Iustus dominus in verbis suis &c.', scilicet quibus omnes ostendit esse in peccatis.


Deinde 'Iustificeris'. Hoc fit in eis, qui se non iustificant, sed iudicant, ut deus iustus sit et per eum iustificentur et ipsi. Dicit autem maxime 'Iustificeris' et non 'verificeris', quia contra Iudeos potissimum loquitur, ut Ro. 3 patet, qui non ignorant aut saltem non ignorare debent omnes esse in peccatis. Sed quia se per suas iustitias iustificari credunt, ideo deum iniustum faciunt, scilicet quasi iniuste eis faciat, quod neget eos in seipsis iustificari posse. Gentibus autem et verax et iustus est.

'Vincas.' Hoc fit in malis et incredulis, a quibus iudicatur deus, cum ipsi sese deberent iudicare, sicut illi, qui dicunt 'Tibi peccavi'. Econtra illi dicunt 'Non peccavi'. Et ita, dum se iustificat, necessario deum condemnat. De quibus prover. 30. 'Generatio, que tergens os suum dicit: non sum

operata malum'. Quia ista duo sese mutuo inferunt:

5 Qui sese { iustificat, Deum condemnat, qui illum peccatorem esse affirmat
per omnes scripturas (maxime ps. 13, ut apostolus allegat Ro.
3).
iudicat et confitetur peccatum, deum iustificat et verificat: quia
dicit id de se, quod deus dicit de eo. Et ita iam conformis deo
est et verax et iustus, sicut

deus, cum quo concordat. Quia eadem dicunt. Sed deus dicit vera et iusta:
et ille dicit eadem. Ergo et ipse cum deo iustus et verax est. Illi autem cum
10 deo pugnant de veritate, Deus enim illos asserit esse impios, illi autem negant.
Et sic necesse est vel deum vel ipsos mentiri: quia mutuo sese condemnant et
iudicant. Sed impossibile est deum mentiri. Quare 'vincas cum iudicaris':
scilicet 'in sermonibus tuis', non enim in seipso iustificatur aut iudicatur. Et
ex isto verbo abunde patet differentia Iudicii et Iustificationis.



His nunc applica regulas logice de naturis oppositarum propositionum.

1. Omnis accusator sui iustificat deum: sed non econtra omnis iustifi-
cator dei iudicat se, quia potest impius deum glorificare, ut demonia.
- 20 2. Omnis iustificator sui condemnat deum: sed non econtra omnis con-
demnator dei iustificat se: quia damnati iudicant deum et tamen non iustificant
se.
3. Nullus iustificator sui iustificat deum: sed bene econtra aliquis
iustificator dei iustificat se.

* * * * *

25 The following selections are from the Lectures on
Romans, dated 1515/16. Werke, vol. V, pp. 222-239
passim.

30 Paulus servus Ihesu Christi (I, 1). Summarium huius epistole est des-
truere et evellere et disperdere omnem sapientiam et iustitiam carnis (id est
quantacunque potest esse in conspectu hominum, etiam coram nobis ipsis),
quantumvis ex animo et synceritate fiant, et plantare ac constituere et

magnificare peccatum (quantumvis ipsum non sit aut esse putabatur).

Deus enim nos non per domesticam, sed per extraneam iustitiam et sapientiam vult salvare, non que veniat et nascatur ex nobis, sed que aliunde veniat in nos, non que in terra nostra oritur, sed que de celo venit. Igitur
5 omnino externa et aliena iustitia oportet erudiri. Quare primum oportet propriam et domesticam evelli . . . Christus vult omnem affectum nostrum ita esse exutum, ut non solum pro nostris viciis non timeamus confusionem et pro nostris virtutibus non amemus gloriam et vanam letitiam, sed nec de ipsa
10 externa, que ex Christo in nobis est, iustitia, gloriari coram hominibus debeamus neque de passionibus et malis, que ex ipso nobis inferuntur, deiici. Sed omnino Christianus verus ita debet nihil proprium habere, ita omnibus exutus esse, ut per gloriam et ignobilitatem idem sit sciens, quod gloria sibi exhibita non sibi, sed Christo exhibetur, cuius iustitia et dona in ipso lucent, et ignominia sibi irrogata et sibi et Christo irrogatur. Sed multis opus est
15 (seclusa speciali gratia) ad hanc perfectionem experimentis. Sive enim quis ex naturalibus sive ex spiritualibus donis sit coram hominibus sapiens, iustus et bonus, non ideo coram Deo talis reputatur, maxime si et ipse se talem reputat. Idcirco in istis omnibus sic oportet se habere in humilitate, quasi adhuc nihil habeat, et nudam misericordiam Dei expectare eum pro iusto et
20 sapiente reputantis.

Justitia Dei revelatur (I, 17). In humanis doctrinis revelatur et docetur iustitia hominum, i. e. quis et quomodo sit et fiat iustus coram se et hominibus. Sed in solo evangelio revelatur iustitia Dei (i. e. quis et quomodo sit et fiat iustus coram Deo) per solam fidem, qua Dei verbo creditur. Ut Marci
25 ult.: 'Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur'. Justitia enim Dei est causa salutis. Et hic iterum 'iustitia Dei' non ea debet accipi, qua ipse iustus est in seipso, sed qua nos ex ipso iustificamur, quod fit per fidem evangelii. Unde b. Augustinus c. 11 de spi. et lit.: 'Ideo iustitia Dei dicitur, quod impertiendo eam iustos facit. Si-
30 cut Domini est salus, qua salvos facit'. Et eadem dicit c. 9 eiusdem. Et dicitur ad differentiam iustitie hominum, que ex operibus fit. Sicut Aristoteles 3. Ethicorum manifeste determinat, secundum quem iustitia sequitur et fit ex actibus. Sed secundum Deum precedit opera et opera fiunt ex ipsa. Sicut in
35 simili opera episcopi vel sacerdotis nullus potest facere, nisi sit prius consecratus et ad hoc sanctificatus, et opera iusta nondum iustorum sunt sicut opera hominis facientis opera sacerdotis et episcopi nondum ipse sacerdos i. e. stulta et ludicra et circulatorum similia.

Sed factores legis iustificabuntur (2, 13). Hoc b. Augustinus c. 26 de spi. et lit. dupliciter. Primo sic: 'Factores legis iustificabuntur' i. e. per
40 iustificationem fient sive creabuntur, ut sint factores, quales ante iustificationem non fuerunt. Secundo et melius 'iustificabuntur' i. e. iusti habebuntur et deputabuntur, ut in glosa dictum est. Et satis patet ex precedenti. 'Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum', ut, si queres: Qui ergo alii sunt apud Deum, si non auditores? Respondeatur: Factores ipsi iusti erunt i. e.
45 iustificabuntur i. e. iusti reputabuntur. Sic ps. 142: 'Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens' i. e. non reputabitur iustus. Et infra 3: 'Ex operibus legis non iustificabitur coram illo omnis caro'. Et Luc. 10: 'Ille autem volens se iustificare' (i. e. declarare, decernere, quod esset iustus,

et excusare a peccato ut qui nesciret, quis esset proximus suus. quem diligere preciperetur) multisque aliis locis similiter.

Et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus (2, 15). Certe ex nostra conscientia non nisi accusantes habemus cogitationes, cum coram Deo (nisi ipse in nobis per gratiam suam operatur) nostra opera nihil sint. Quamquam enim coram nobis facile sit excusari nos, quia et facile nobis placemus. Sed quid hoc prodest, nisi quod ex hoc ipso convincimur legem nosse? Testes enim sunt eiusmodi cogitationes placencie, quod bonum fecimus et malum omisimus. Sed nondum Deo satisfacimus aut legem omnino implevimus. Unde ergo accipiemus defendentes? Non nisi a Christo et in Christo. Cor enim credentis in Christum, si reprehenderit eum et accusaverit eum contra eum testificans de malo opere, mox avertit se et ad Christum convertit dicitque: Hic autem satisfacit, hic iustus est, hic mea defensio, hic pro me mortuus est, hic suam iustitiam meam fecit et meum peccatum suum fecit. Quod si peccatum meum suum fecit, iam ego illud non habeo et sum liber. Si autem iustitiam suam meam fecit, iam iustus ego sum eadem iustitia, qua ille. Peccatum autem meum illum non potest absorbere, sed absorbetur in abyssu iustitie eius infinita, cum sit ipse Deus benedictus in secula. Ac sic 'Deus maior est corde nostro'. Maior est defensor quam accusator, etiam in infinitum. Deus defensor, cor accusator. Que proportio? Sic, sic, etiam sic! 'Quis accusabit adversus electos Dei'? Q. d. nullus. Quare? Quia 'Christus Jhesus est' (qui etiam Deus est), 'qui mortuus est, immo qui et resurrexit' etc. 'Si ergo Deus pro nobis, qui contra nos'?

3, 7) Tripliciter Deus iustificatur, verificatur etc

Primo, quando punit et damnat iniustum, mendacem, stultum etc; tunc enim ostendit se iustum, verum etc. Ac sic eius iustitia, veritas etc. per nostram iniustitiam, mendacium commendatur et glorificatur, quia manifestatur. Sed hec commendatio est modica. Quia et mendax mendacem, iniustus iniustum sepe punit et arguit et tamen non ideo statim totus verax et iustus glorificatur.

Secundo relative. Sicut opposita iuxta se posita magis elucescunt quam seorsum posita, ideo tanto pulchrior est eius iustitia, quanto fedior nostra iniustitia. De istis duobus modis non loquitur Apostolus, quia hec est iustitia Dei interna et formalis, de qua non loquitur.

Tertio effective, i. e. quando nos ex nobis iustificari non possumus et ipsum accedimus, ut ipse nos iustos faciat confitentes, quod peccatum experare non valeamus. Hoc facit, quando verba eius credimus; per tale enim credere nos iustificat i. e. iustos reputat. Unde dicitur iustitia fidei et iustitia Dei effective.

40

Corollarium.

Apostolus nequaquam hic dicit, quod 'iniustitia nostra commendat iustitiam Dei' (3, 5), sed potius negat, quia non est verum. Querit autem in persona eorum, qui hoc putabant ex verbis psalmi sequi, quod tamen non sequitur. Non enim vult psalmus et Apostolus, quod peccatum nostrum iustificet Deum

aut commendet, sed agnitio et confessio peccati. Unde dicit: 'Quoniam iniquitatem ego cognosco' etc. Tunc sequitur: Et sic 'tibi soli peccavi' (i. e. cognosco, quod tibi soli peccator sum. Ista enim agnitio facit iustitiam Dei appetibilem et confessio commendabilem. Dum enim agnosco, quod non possum
5 esse iustus coram Deo, quia scriptum est: 'Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens', et alibi multa similia, quibus nos Deus in peccatis esse decit), tunc incipio ab eo iustitiam petere. Et sic agnitio peccati compulit me, ut Deus iustificaretur in me (i. e. ut ei crederem et sic me iustificaret). Et confessio eiusdem post commendat et glorificat eum, quia solus iustus et iustif
10 ficator noster. Quomodo non commendatur, ubi peccatum non confitetur aut agnoscitur neque ab eis iustitia sua appetitur, quibus sua propria placet et sufficit.

Est enim simile:

Sicut bonus artifex tripliciter potest commendari. Primo, dum imperitos
15 artis sue arguit et confundit. Sed hec exilis et superba est commendatio. Secundo, quando comparatus ceteris (etiamsi non arguat eos) peritior apparet. Tercio, quando perfectionem artis sue aliis petentibus tradit, quod eam ex se habere non potuerant. Hec est vera commendatio. Reprehendere enim alios
20 et apparere artificem, hoc non est esse optimum artificem; sed efficere artifices sui similes, hoc est laudabilem esse artificem. Primus enim modus involvit sepe superbiam et elationem, secundus autem invidiam et arrogantiam. Tertius autem ipse est benivolentia et humanitas. Sic Deus iustus est effective in nobis laudabilis, quia nos sui similes facit.

Verum sicut artifex ille incredulis et qui sibi satis periti videntur, non
25 potest suam peritiam tradere neque ex ipsis gloriam et commendationem potest consequi artis sue et magisterii, nisi ipsi prius agnoscant se imperitos, et credant ei imperitos eos affirmanti, sed superbia eos non sinit ei credere, ita impii non credunt, quod sint impii, ideoque neque agnoscunt. Inde denique non
30 sinunt Deum in seipsis iustificari, verificari etc. ac per hoc nec commendari aut glorificari.

Beati, quorum remisse etc. (4, 7), sit:

(I.)

Sancti intrinsece sunt peccatores semper, ideo extrinsece iustificantur
35 semper. Hipocrite autem intrinsece sunt iusti semper, ideo extrinsece sunt peccatores semper.

Intrinsece dico, i. e. quomodo in nobis, in nostris oculis, in nostra estimatione sumus, extrinsece autem, quomodo apud Deum et in reputatione eius sumus. Igitur extrinsece sumus iusti, quando non ex nobis nec ex operibus, sed ex sola Dei reputatione iusti sumus. Reputatio enim eius non in nobis nec
40 in potestate nostra est. Ergo nec iustitia nostra in nobis est nec in potestate nostra. Sicut Osee 13: 'Perditio tua, Israel, tantum in me auxilium tuum' i. e. intra te non est nisi perditio, sed salus tua extra te est. Et ps. 120: 'Auxilium meum a Domino' q. d. non ex me. Intrinsece autem sumus peccatores per naturam relativorum. Quia si solum Deo reputante sumus iusti,

ergo non nobis viventibus vel operantibus. Quare intrinsece et ex nobis impii semper. Sic ps. 50: 'Peccatum meum contra me est semper', i. e. in conspectu meo semper habeo, quod sum peccator. 'Tibi enim peccavi' (i. e. sum peccator), 'propterea iustificabis in verbo tuo' etc. Econtra hipocrite, quia
5 intrinsece sunt iusti, per vim et necessitatem relationis sunt extrinsece iniusti (i. e. reputatione Dei), ut ps. 94: 'Et dixi: semper hii errant corde', qui omnia pervertunt verba Scripture, ut illud: 'Peccatum meum contra me est semper'. Ipsi vero: iustitia mea contra me est semper (i. e. in conspectu meo), et beati, qui iustitiam operantur etc. Tibi, inquit, (non peccavi, sed)
10 iusta operor: immo sibi operantur.

2.

'Mirabilis Deus in sanctis suis', cui simul sunt iusti et iniusti.

Et mirabilis in hipocritis Deus, cui simul sunt iniusti et iusti.

Quia dum sancti peccatum suum semper in conspectu habent et iustitiam
15 a Deo secundum misericordiam ipsius implorant, eoipso semper quoque iusti a Deo reputantur. Ergo sibiipsis et in veritate iniusti sunt, Deo autem propter hanc confessionem peccati eos reputanti iusti; re vera peccatores, sed reputatione miserentis Dei iusti; ignoranter iusti et scienter iniusti; peccatores in re, iusti autem in spe. Et hoc est, quod dicit hic: 'Beati, quorum remisse
20 iniquitates et tecta peccata'. Unde sequitur: 'Dixi: confitebor adversum me iniustitiam meam' (i. e. in conspectu meo semper habeo peccatum meum, quod tibi confitear). Ideo 'et tu remisisti impietatem peccati', non solum mihi, sed omnibus. Unde sequitur: 'Pro hac orabit ad te omnis sanctus'. Ecce omnis sanctus est peccator et orat pro peccatis suis. Sic 'iustus in
25 principio est accusator sui'. Et iterum: 'Iustus pro delictis suis deprecabitur'. Et iterum ps. 37: 'Quoniam iniquitatem meam annuntiabo et pro peccato meo cogitabo'. Igitur mirabilis et dulcissima misericordia Dei, qui nos simul peccatores et non-peccatores habet. Simul manet peccatum et non manet. Ergo intelligentia hic est opus secundum titulum psalmi. Rursum
30 mirabilis et severa ira. Qui simul impios habet iniustos et iustos. Simul tollitur eorum peccatum et non tollitur.

* * * * *

The following selections of the Tischreden are all from the notes of Veit Dietrich, dated 1531/33. Werke, vol. VIII, pp. 1-80 passim.

35 3. In muliere sunt defectus virum et ingenii. Defectus virium tolerantur, quia viri alunt eas, defectum ingenii desideramus, sed debebamus quoque mores earum ferre.

7. Coniugium est in tota natura, quia in omnibus creaturis est masculus et femina. Etiam arbores maritantur, item gemmae. Sic inter saxa et
40 lapides quoque est coniugium.

12. Encomium mulierum. Spiritus Sanctus laudat mulieres. Exempla

sunt Iudith Esther, Sara, et apud gentes laudantur Lucretia, Artemisia. Coniugium sine mulieribus nullum esse potest. Remedium fornicationis ducere uxorem; vitae iucunda socia mulier. Mulieres parere et educare solent liberos, administrant oeconomiam, ad misericordiam propensae sunt, sunt enim a Deo in hoc conditae, ut pariant, ut delectent viros, ut misereantur.

17. Ego puto, quod Philippus astrologica tractat, sicut ego bibo ein starcken trunck birs, quando habeo graves cogitationes.

50. Rusticis sum inimicus, quia sedent in summo loco benedictionis et minimas aut nullas peccandi habent occasiones. Magistratum vero amo etiam peccantem, quia necessario peccat; quanto enim quisque in maiore est officio, tanto plus et gravius peccat. Privati privata curant, sicut medicus curat Socratem etc., at magistratus curat corpus publicum, ideo in maximo discrimine versatur.

55. Viri habent lata pectora et parva femora, ideo habent sapientiam. Mulieres habent angusta pectora et lata femora. Mulier debet esse οἴκουρος; id creatio indicat, habent enim latum podicem et femora, das sie sollen still sizen.

60. Papa ex omnibus, quae sunt in religione, nundinationem fecit, hat gellet draus geschmidt, excepto solo infantium baptismo, credo, quod illi nudi et sine pecunia generentur, alioqui nec illis parsurus.

64. Papa postquam doctor esse desiit, factus est servus mensarum, sicut testantur eius decretales. Tria autem studia amplexus est: Primum ut omnia agat pro stabilienda dominatione sua; secundum ut reges et principes in mutua odia et bella coniciat, pertinet autem et hoc ad suam tyrannidem stabilendam, in hoc autem aperte est malus; tertium autem est, in quo occultissime Satanam agit, cum quasi beneficus odia rursus solvit et conciliat eos.

65. Mundus nec Deum pro Deo nec Diabolum pro Diabolo habere vult, igitur cogitur pati eorum vicarios, hoc est, falsum vicarium Dei et verum vicarium Diaboli, scilicet papam. Et papatus est regnum debitum omnibus impiis, ut vel inviti oboediant homini nequam, qui sponte Deo oboedire noluerunt.

70. Senem ducere iuvenem uxorem est civiliter et naturaliter eum occidere.

80. Parvae et leves causae me multum movent, magnae autem non movent, sic enim cogito: Hoc est supra te, du kanst es nit halten, ergo so lass es gehn. Diversum facit Philippus. Is meis negotiis non movetur, sed movent eum illa grandia reipublicae et religionis. Me privata tantum premunt. Sic sunt varia dona.

83. Difficillimum est Satanam in luctis conscientiae agnoscere, quod se transmutat in Angelum lucis et personam Dei. Postquam autem agnitus est, tunc facile possum dicere: Lecke mich im a. etc.

88. 1., 2., 3., 4., 5., 6., 7. praeceptum iusto ordine se consequuntur:

Gravius est occidere quam moechari, gravius moechari quam furari etc. In reliquis tribus non convenit hic ordo. Quanquam autem ego nihil decernam, tamen existimo tria postrema praecepta esse quasi latitudinem seu circumstantias priorum praeceptorum, quod ore et studia (haec enim dua in posterioribus tribus prohibentur) peccatur in superiora omnia. Ordo certe videtur in octavo mutari, neque enim gravius est dare falsum testimonium quam concupiscere uxorem alterius; item non est gravius rem alterius concupiscere quam uxorem etc.

91. Romae dua Augustiniani in cellis suis inventi praecisis capitibus et lingua execta et in podicem missa. Tanta fuit crudelitas! Reprehenderunt hiliuxum cardinalium.

98. De Muncero certum est, quod iam dico, puella enim a parochio in mortis periculo interrogata confessa est. Cum esset Muncerus Zuicaviae, venit ad eam virginem et dixit se divina voce missum, ut eam constupraret; quod si non fieret, se non posse vere verbam Dei docere.

109. Cum diceret se reiecisisse ad iureconsultos quaestionem, utrum caesari liceret resistere, ibi cum interrogarem, an non etiam sui officii sit iudicare de illis legibus? respondit: Non. Theologus tantum docet credendum Christo, deinde generaliter adhortatur unumquemque, ut suum officium faciat in fide; ut: Sutor suat calceum etc.; quomodo autem calceus suendus, quomodo vendendus sit, hoc non est mei officii praescribere; ibi habet leges civiles etc.; alioqui oporteret theologum omnes res scire et exacte nosse, et esset infinita professio. Sic etiam cum de civilibus docet theologus, tantum generaliter docet. Dicit: Non furare! Sed iuristae postea docent, quomodo fiat furtum. Sic monet medicum generaliter, ut faciat suum officium; ea deinde ei cura incumbit, non mihi, ut videat, quanta debeat esse δόσις. Sic ego generaliter doceo in hac quaestione de caesare, quod sint sequendae leges; quae autem illae leges sint et quales, hoc neque scio neque scire volo, quia non est officii mei.

111. Unus dies sicut mille anni apud Deum et econtra. Sic etiam coram Deo unus locus est omnis locus et omnis locus unus. Non igitur mirum est in sacramento Christi corpus in variis locis simul et semel esse.

114. Accedebat aliquando laborantem ex conscientia et desperatione; ita eum consolabatur: 'Mi frater, ne terreat te, quod Satan ita te vexat! Christus dicit: Si de mundo essetis, mundus non odisset vos. Nunc autem quia non estis etc. Sint tibi argumento igitur tentationes tuae te esse filium Dei. Ideo enim Satan te vexat, ut desperatione iniecta suum filium te faciat.'

116. Puer aliquando incidit in bibliam, ibi forte historiam de matre Samuelis in libris Regnum legit; mire placuit ei liber, et cogitavit se felicem fore, si unquam talem librum habere posset. Paulo post emit postillam; ea mire placuit, quod plura euangelia contineret, quam per annum doceri solebant.

Monachus factus omnes suos libros reliquit. Compararat paulo ante corpus iuris et nescio quos alios libros. Eos bibliopolae reddidit. Nullos

secum in monasterium abstulit praeter Plautum et Virgilium. Ibi monachi ei dederunt bibliam rubro corio tectam. Eam adeo familiarem sibi fecit, ut, quid in uno quoque folio contineretur, nosset et statim, cum sententia aliqua offerretur, primo intuitu, ubi, scripta esset, sciret: Eam si retinuissem, inquit, mire bonus localis biblicus essem; neque mihi tum, inquit, aliud studium placuit quam sacrarum literarum. Cum miro taedio legebam physica, et ardebat animus, cum redeundum esset ad biblia. Usus autem sum glosa ordinaria. Lyram contemnebam, quanquam post viderem eum valere ad historiam. Diligenter autem legebam biblia; una aliqua sententia gravis omnes cogitationes unius diei occupabat, et in prophetis quoque gravioribus eae sententiae inhaeserunt, ut in Ezechia: 'Nolo mortem peccatoris' etc.

119. Cum vellet proficisci in patriam et esset in itinere, forte impegit in gladium, et cephalicam perrupit. Solus tum erat in campo cum uno comite tantum ab Erfordia, quantum Utsch distat a Wittenberga (halb meyl). Ibi mire sanguis effluxit nec sisti potuit. Ipse cum opposuisset digitum, in miram magnitudinem intumuit crus. Tandem adductus ex civitate chirurgus, is vulnus curavit. Ubi in periculo mortis fuit et dixit: O Maria, hilff! Da wer ich, inquit, auff Mariam dahin gestorben! - Deinde noctu in lecto vulnus disruptum est; ibi deficit et invocavit quoque Mariam. Fuit 3. paschalis.

121. Monachus ego non sensi multam libidinem. Pollutiones habui ex necessitate corporali. Mulierculas ne aspexi quidem, cum confiterentur; nolēbam enim nosse eorum facies, quos audiebam. Erfurdiae nullam audivi, Wittenbergae tres tantum.

122. Leve verbum in tentatione animum revocat. Dixit aliquando ad me meus confessor, cum subinde stulta peccata ad cum afferrem: 'Stultus es. Deus non succenset tibi, sed tu succenses ei. Deus non irascitur tecum, sed tu cum Deo.' Magnificum verbum, quod tamen ille ante lucem euangelii dicebat. Sic Pomeranus aliquando in hac mensa, cum vos Ihenae essetis, consolabatur me, cum essem tristis: Sine dubio Deus sic cogitat: Quid faciam ego huic homini amplius? Dedi ei tot excellentia dona, et ipse desperat de mea gratia? Magna mihi erat consolatio, et quasi Angeli vox esset haerebat in corde meo, quanquam ipsum non intellexisse putem, quid dixerit, aut quod ita bene dixerit.

Experientia doctus possum docere, quomodo in tentationibus instituere animum debeas. Quando tentaris tristitia aut desperatione aut alio dolore conscientiae, tunc ede, bibe, quaere colloquia; si potes te cogitatione puellae recreare, facito. Fuit episcopus, is habebat sororem in monasterio; ea variis somniis de fratre turbabatur. Accedit fratrem, queritur ei se varie sollicitari somniis malis. Ibi frater lautam coenam instruit et provocat sororem ad edendum et bibendum. Altero die quaerit ex ea, an molesta ei fuerint ea nocte somnia? 'Non,' respondet illa, 'bene dormivi absque ullis somniis'. 'Abi ergo', inquit, 'et cura corpus tuum in Sathanae odium, et cessabunt mala somnia'. Sed hic sciendum, quod aliis alia remedia conveniunt. Mihi hoc modo prodest larga potatio; iuveni non consulerem propter libidinis alimentum. Aliis igitur ieiunium, aliis potationes prosunt. Sicut Augustinus dicit prudētissime in sua regula: 'Non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes.' Sicut igitur hic de corpore dicit, ita nos de animi morbis dicere possumus.

124. Vult Deus, ut simus laeti, et odit tristitiam. Si enim vellet nos tristes esse, non daret solem, lunam et alios fructus terrae, quos omnes dat ad laetitiam. Faceret tenebras. Non sineret amplius oriri solem aut redire aestatem.

5 125. Magnum Dei beneficium est, quod non dat omnia, quae nos cupimus; sic enim daret nobis occasionem tristandi.

135. Aristotelis physica, metaphysica et de anima, qui sunt optimi libri, eos scio me perfecte intelligere. Metaphysica sunt de esse, physica sunt de fieri; in den zweien steht des Aristotelis kunst alle. In XII. phys. 10 dicit: 'Primum ens videt se ipsum; si extra se videret, videret mundi moles-
tias.' In eo loco tacite negat Deum.

153. Vera theologia est practica, et fundamentum eius est Christus, cuius mors fide apprehenditur. Omnes autem hodie, qui non sentiunt nobiscum et non habent doctrinam nostram, faciunt eam speculativam, quia sic kon-
nen aus der cogitatio nit kommen: Qui bene fecerit etc. Es heist aber nit so,
15 sed: 'Timenti Dominum bene erit in ultimis.' Speculativa igitur theologia,
die gehort in die hell zum Teuffel. Sic Zinglius speculabatur: Corpus Christi
est in pane, sed spiritualiter, quia ego speculor esse in pane. Haec est quo-
que Origenis theologia. Daudid non sic facit, sed agnoscit peccatum et dicit:
20 'Misere mei, Deus.'

159. Carlstadius aliquando promovit doctorem publice Vittenbergae et in oratione mirabiliter invectus est in titulos, adeo ut Lutherus bis vellet abire ex publico consessu. Aperte dixit promotionem esse contra Deum, et se facere contra Deum propter duos aureos.

25 174. Cum Lutherus aliquando Augustinum in disputatione urgeret, Carlstadius commotus dixit: 'Ego mihi quoque Augustinum emam et videbo, quid dicat.' Sicque fecit. Ad alium quendam dixit: 'Nolite cum Luthero dis-
putare! Ipse totis decem annis legit biblia.'

197. Ego sum liber ab avaritia; a libidine vindicat me aetas et affectum
30 corpus, neque laboro cuiusquam odio aut invidia. Sola ira adhuc est reliqua
in me, quae tamen plerunque necessaria et iusta est. Sed habeo alia maiora
peccata.

233. Το ἐμόν. Sine peccato non potes carere uxore. Coniugium au-
tem est ordinatio et creatura Dei. Non est igitur Satanae instinctus, quando
35 quis cupit nuptias honestae virginis, odit enim Satan hoc vitae genus. Ergo
so wag es dahin in nomine Domini auf sein benedictio et creatio.

246. Cum Dominus Philippus rideret astrologos, quod dicerent, nisi Saturni sidus esset, homines nunquam morituros, addebat noster: Nisi esset peccatum Adae, tunc nemo moreretur, et si hoc non esset, etiamsi mille
40 Saturni pro uno essent, so schisse ich drein. Hoc scribite et notate!

250. Nulla suavior est coniunctio quam coniugii boni, neque ulla est acerbior disiunctio quam coniugii boni. Proxima huic est mors liberorum,

quam ego sum expertus, wie wee es thut.

253. Nullum remedium est contra libidem quam unum, scilicet afflictio et vexatio cordis. Alia omnia nihil sunt.

254. Vinum est benedictum et habet testimonium in scriptura, cerevisia
5 autem est traditio humana.

311. Collatio Proverbiorum et Ecclesiastici. In Proverbiis optimum est caput octavum. Huic simile est caput primum Ecclesiastici. In utroque autem nihil est de Christo, neque enim vel promissiones vel prophetias habent, ergo Psalterium et Esaias ac Hieremias, etiam Daniel longe excellunt omnes
10 Salomonis libros quoad prophetias . . .

312. In translatione sacrae scripturae duas regulas sequor. Primum, cum est obscurus aliquis locus, considero, an sit de gratia vel lege, an ira vel remissio peccatorum, wazu es sich am besten reyme. Hac ratione saepe obscurissimos locos intellexi, das es vel lex vel euangelion uns in die hend getriben hat, nam Deus divisit suam doctrinam in legem et euangelion. . . .
15 Altera est, quod in ambigua sententia quaero ex eis, qui cognitionem linguae meliorem habent, an grammatica Hebraea possit hanc vel hanc sententiam ferre, quae mihi videtur maxime propria. Ea autem est, quae argumento libri est vicinior. Iudei autem ideo sic errant in scriptura, quia nulla argumenta librorum habent. Habito autem argumento eligenda est sententia
20 vicinior.

330. Ego omnino puto papatum esse Antichristum, aut si quis vult addere Turcam, papa est spiritus Antichristi, et Turca est caro Antichristi.
25 Sie helffen beyde einander wurgen, hic corpore et gladio, ille doctrina et spiritu.

409. Haec Lutheri manu scripta vidi: Anno 1518 absolvit me Doctor Staupicius ab oboedientia ordinis et reliquit me Deo. Anno 1519 excommunicavit papa Leo ab ecclesia sua, et sic secundo ab ordo absolutus sum. Anno 1521 excommunicavit me Carolus caesar extra imperii fines, et sic terio sum
30 absolutus. Psalmo: Dominus autem assumpsit me. Staupicii verba fuerant: Absolvo te ab oboedientia mea et commendo te Domino Deo.

423. In natura experientia est causa, cur audiamus, et praecedit assensum; in theologia autem experientia sequitur assensum, non praecedit.

538. Semper Deus incepit per unum hominem et fecit mirabilia, post
35 addidit socios, deinde pugnavit et vicit adversarios, ut in Mose, Samuele.

544. Non uxor, sed proles est causa politiae, quia nato filio opus est domo, servo, agro etc. Sicut in Deo Filius causa est, quare omnia fiant; nato enim Filio Dei opus Angelis, coelo, terra, varietate officiorum.

564. Ex optimis semper pessimi. Ex Abraham et patribus crucifixo-
40 Christi, ex Romana ecclesia Antichristus, ex apostolis Iudas et pseudoapostoli, ex Alexandria Arius, Origenes, ex Constantinopoli Turca, ex eremitis Arabiae

Mahmed, ex uxore adultera ex virgine meretrix, ex fratre, filio, amico hos-
tes acerbissimi, ex Angelis Diaboli, ex regibus tyranni, ex euangelio men-
dadium, ex ecclesia haeretici, ex cibo stercus, ex vino lotium, ex sanguine
pus, ex Luthero Muntzer et seditiosi - quid igitur mirum, si mali inter nos
5 sint et a nobis veniant? . . .

568. Time Deum (thue recht) et fide in eum (hoffe gnade). Hoc ist:
Simul est et timendum et fidendum, non successivi. Sed, noli peccare (quia
subito potes mori) et noli desperare (quia restat gratia).

10 Lex pro futuris
euangelium pro praeteritis } peccatis.

623. Factus est monachus patre invitissimo, qui etiam, cum primitias
celebraret et quaereret ex patre, cur offensus esset suo facto, respondit et
obiecit ei in mensa: 'Nescitis, quod scriptum est: Honora patrem et mat-
rem?' Cum autem excusaret se, quod sic esset territus tempestate, ut coac-
15 tus sit fieri monachus, respondit: "Schauet auch zu, das es nit ein gespenst
sey." Postea pater ei fuit autor ducendae uxoris. Natus est Islebii, oriundus
ex pago Møhr vicino Isenachio. Avus Henricus Luder, parens Ioannes Luder.

654. Christianus est passivus coram Deo, quia ibi accipit tantum, et
coram hominibus, quia ibi patitur. Bona recipit a Deo et mala ab hominibus.

* * * * *

20 The following letters are from Werke, vol. VI.

3. To Staupitz (p. 10)

31. 3. 1518.

Suo in Christo Patri et maiori Staupitio.

Ihesus.

25 Salutem. Occupatus plurimis cogor, mi pater in Domino, scribere pau-
cissima. Primum valde credo nomen meum apud multos foetere, ita enim
boni homines mihi iam diu imponunt, quasi damnaverim rosaria, coronas,
psalteriola, alias denique orationes, immo omnia bona opera. Sic et B. Paulo
contigit ab iis, qui dicebant eum dicere: 'faciamus mala, ut veniant bona'.
30 Ego sane secutus theologiam Tauleri et eius libelli, quem tu nuper dedisti im-
primendum Aurifabro nostro Christanno, doceo, ne homines in aliud quicquam
confidant quam in solum Ihesum Christum, non in orationes et merita vel opera
sua. Quia non currentibus nobis, sed misereunte Deo salvi erimus. Ex istis
sermonibus illi venenum asugunt, quod vides seminari ab eis. Verum propter
35 famam vel infamiam nec coepi nec dimittam. Deus viderit. Idem de scholas-
ticipis doctoribus mihi conflant odium. Quia illis praefero ecclesiasticos et
Bibliam, paene insaniunt prae fervore zeli sui. Ego scholasticos cum iudicio,
non clausis oculis (id est illorum more) lego. Sic praecipit Apostolus: 'om-
nia probate, quod bonum est, tenete'. Non reiicio omnia eorum, sed nec om-
40 nia probo. At sic solent illi locutores ex parte totum facere, ex scintilla

incendium et ex musca elephantem. Ego tamen Deo propitio larvas illas nihil curo. Verba sunt, verba manebunt. Si licuit Scoto, Gabriel et similibus dissentire S. Thomae, rursum Thomistis licet toti mundo contradicere, denique tot fere sint inter scholasticos sectae, quot capita, immo quot crines cuiusque
5 capitis, cur mihi non permittunt idem contra eos, quod sibiipsis ius arrogant contra seipsos? Sed, si Deus operatur, nemo est, qui avertet. Si quiescit, nemo suscitabit. Vale et ora pro me et pro veritate Dei, ubiubi sit. Wittenbergae pridie Kalen. Aprilis 1518.

Fr. M. Eleutherius Aug.

10

9. To Staupitz (p. 11)

1. 9. 1518.

Reverendo et optimo Patri, Iohanni Staupitio, Eremitarum S. Augustini Vicario, suo in Christo colendo Patrono ac maiori.

Ihesus.

15 Salutem. Nihil dubites, reverende mi Pater, futurum me liberum in verbo Dei scrutando et tractando. Neque enim illa citatio et intentatae comminationes me aliquid movent; incomparabiliter peiora patior, sicuti nosti, quae cogunt me ista temporalia et momentanea fulmina levicula ducere, nisi quod potestatem ecclesiasticam sincere volo colere. Quod si excommunicer
20 ab homine, te unum timeo offendere, cui confido iudicium in rebus datum a Deo rectum et fidele.

Videbis Resolutiones et responsiones meas in aliquot locis liberiores, quam forte et tu ipse probare possis, porro adulatoribus Romanis intolerabiles; sed Resolutiones editae fuerant, alioqui eas temperassem. Verum si
25 Sylvester et sylvestreus iste sophista pergere coeperit et aliis me provocare nugis, tunc ego non iterum ludam, sed datis frenis ingenio et calamo ostendam ei in Germania esse, qui suas et Romanas technas intelligant; et id cupio citius fieri. Iam diu et nimis nos Romani tanquam bardos et buccones suos sine fine strophis et versuris versutiisque ludunt et non tam fallunt astute, quam aperte
30 et impudenter calumniantur.

Horum enim studium est, ut video, ne regnum veritatis, id est Christi, sit regnum veritatis, dum uno furore id satagunt, ne veritas in regno suo proprio audiatur et tractetur. Ego me partem huius regni fieri cupio, si non veraci vita, certe tamen veraci lingua et corde, utcunque emendata saltem vere
35 confitente. Et ego experior populum suspirare vocem pastoris sui Christi et miro studio in sacras literas fervere etiam adolescentes. Coepta est apud nos Graeca lectura, graecissimus omnes propter intellectum Bibliae; Hebraeum exspectamus etiam, et Princeps in hoc curam habet.

Habui sermonem de excommunicatione Wittenbergae, vehementer necessarium populo propter duras officialium vexationes in populum nostrum. Quem cum omnes nostri iuristae et theologi probant maxime, mirum tamen est, quanta incendia mihi ex illo conflare studuerint observatores atroces nimis, qui raptum ex ore meo in articulos odiosissime compositos tum redegerunt et
40 ubique sparserunt et spargunt cum insigni nominis mei persecutione; denique Augustae inter magnates volat et irritat multos; in Dresden mihi ipsi in faciem
45

obiectus fuit allatis aliquot eiusdem articulis. Vide, quam insidiose petar et undique sepiar spinis; sed Christus vivit et regnat heri et hodie et in saecula. Veritatem doctam a me, conscientia mihi respondet, et veritatem cum nomine, ideo magis odiosam. Uterus Rebeckae est, parvulos in eo collidi necesse est, etiam usque ad periculum matris.

Ista ecce fuit causa, ut ederem eundem sermonem, quo venenatis istis articulis occurrerem aut male intellectis lucem afferrem. Tu pro me ora, ne nimis gaudeam et confidam in ista tentatione. Deus illis non imputet, oro. Habent et ipsi zelum Dei, etiam teste me, sed indoctissimum, donec et ipsos illuminet eadem luce nostra Ihesus Christus, qui te servet sibi in gloriam et in Ecclesiae suae salutem, Amen. Die Egidii 1518.

F. Martinus Lutherus.

15. To Staupitz (p. 24)

14. 1. 1521.

15 Ihesus.

Salutem. Cum Augustae essemus, reverendissime Pater, inter caetera, quae de hac mea causa tractabamus, dicebas ad me: 'Memor esto, frater, te ista in nomine Domini nostri Ihesu Christi incepisse'; quod verbum non a te, sed per te mihi dictum accepi et memori valde mente repositum tenco.

Tuo itaque nunc te verbo isto peto: memor esto et tu hoc te verbum ad me dixisse. Hactenus lusum est in ista re, serius instat, et, sicut tu dixisti, nisi Deus hoc perficiat, impossibile est perfici; plane in manu Dei iam sunt ista potentissimi, ut negare nemo queat. Quis hic consulit? quid cogitet homo? Tumultus egregie tumultuatur, ut nisi extremo die sedari mihi posse non videatur, tantum est animi ex utraque parte.

Non est papatus sicut heri et nudius tertius: etiamsi excommunicet et exurat libellos occidatque me ipsum, omnino aliquid portenti prae foribus est. Quam felix fuisset papa, si mediis bonis componendae pacis potius, quam vi et turbinibus perdendi Lutheri rem aggressus fuisset! Exussi libros papae et bullam, primum trepidus et orans, sed nunc laetior, quam ullo alio totius vitae meae facto; pestilentiores enim sunt, quam credebam.

Scribit in me vernacula Emser Lipsiae, ductu furentis in me Ducis Georgii, qui in aula impiissime contra me agere proposuit, spirans minarum et caedis.

Vocatus fui a Caesare literis ad Principem datis; sed et hic recusavit, et ille mox aliis literis priores revocavit. Quid futurum sit, Deus novit. Vicarius noster Wenceslaus Nurmbergam ivit. Zschessius est Grimmis, abiisse fertur; Deus servet eum. Apud nos florent omnia sicut hactenus. Huttenus bullam postillavit salsissimis notis in papam, et varia in hanc rem meditat. Mea ter arserunt, Lovanii, Coloniae, Moguntiae, sed Moguntiae cum magno contemptu atque adeo periculo comburentium. Thomas Murnar quoque in me scripsit furens. Nam Barfotum illum asinum Lipsensem nihil moror. Vale, mi Pater, pro verbo Dei ac me ora; ego fluctibus his rapior et volvor. Wittembergae, die Felicis 1521.

45 Martinus Lutherus, August.

17. 9. 1523.

Reverendo in Christo Patri, D. Iohanni, Abbati S. Petri Ord.
Benedictini Salisburgae, suo in Domino maiori, patri et praeceptor.

5 Gratia et pax in Christo Iesu, Domino nostro! Reverende in Christo
Pater! Iniustum est nimio silentium tuum, de quo ut nos cogitare debeamus,
ipse facile perspicis. Sed nos certe, etiamsi desivimus tibi grati ac placiti
esse, tamen tui non decet esse immemores et ingratos, per quem primum
10 coepit Euangelii lux de tenebris splendescere in cordibus nostris. Sed hoc
ctiam verum esse fateor nobis fuisse acceptius te non esse factum abbatem;
nunc cum factus sis, utrinque boni consulamus, unumquemque sensu suo
abundare permittamus. Ego sane cum tuis optimis amicis non tam aegre
ferimus esse te alienum a nobis, quam quod monstro illi famoso, Cardinali
tuo, proprius factus es, cui quae libeat ac liceat facere, orbis paene non fert,
15 haec tamen tu ferre et tacere cogeris. Mirum, si non Christum negare peri-
cliteris. Proinde nos oramus plane et optamus te nobis reddi et redditum dari
ex istius tyrannidis carcere, idque speramus et a te cogitari. Nam ego, ut
hactenus te novi, non possum ullo modo duo ista pugnancia componere, nempe
ut idem sis, qui fueris, si sic manere statueris, aut si idem sis, non assidue
20 moliaris discessum. Cum autem optima cogitemus et optemus tibi, posterius
adhuc tenemus spe bona, licet diuturno tuo silentio satis foriter pulsata.

Itaque hac ratione ausus sum has ad te dare literas pro fratre Achatio,
tui monasterii quondam captivo, nunc Christi, spero, liberto. Quin si talis
nobis es, qualis fuisti, non tantum audeo veniam pro illo petere, quod aufugit
25 sine licentia (quam spero isti facies egregie), verum diligenter pro illo ipso
obsecrarem, ut aliquid ei de plenitudine opimi monasterii tui impertireris,
quo meliorem novae vitae rationem inire posset pauper et egenus. Nam id a
me quoque postulavit, ut facerem. Et ego in dubio incertus meliorem spem
apprehendi et in hanc partem inclinavi, ut adhuc omnia optima de te praesu-
30 mam. Sin autem mutatus es in alium virum erga nos, quod avertat Christus
(libere loquar tecum), nolim plura verba perdere, sed misericordiam Dei
super te et nos omnes invocare. Vides itaque, reverende Pater, quam am-
bigue scribam, quod tuo silentio tanto nos incertos tamdiu relinquis, quis sit
tuus animus, cum tibi certissimum sit, quid nos sapiamus et sentiamus, et
35 certum mihi sit non contemni nos a te ex animo, etiamsi per omnia dis-
pliceremus. Ego plane non desinam optare et orare, quam ut alienus a
Cardinale tuo et papatu fias, sicut ego sum, imo sicut et tu fuisti. Dominus
autem exaudiat me et assumat te sibi nobiscum, Amen. Wittenbergae die
Lamberti 1523.

40

Filius tuus Martinus Luther.

28. 3. 1519

Ihesus.

5 Salutem. Toties ego tecum fabulor et tu mecum, Erasme, decus nos-
trum et spes nostra, nec dum mutuo nos cognoscimus, nonne monstri hoc
simillimum? imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim
est, cuius penetrabilia non penitus occupet Erasmus, quem non doceat Erasmus,
10 in quo non regnet Erasmus? De iis loquor, qui literas recte amant. Nam
satis gaudeo, quod inter caetera dona Christi etiam hoc numeratur, quod mul-
tis displices, quo ego argumento soleo discernere dona clementis Dei a donis
15 irati. Itaque tibi gratulor, quod, dum summe omnibus bonis places, non minus
displices iis, qui soli omnium summi esse et summe placere volunt.

Sed ego stultus, qui te, talem virum, sic illois manibus absque reveren-
tiae et honoris praefatione veluti familiarissimum aggredior, ignotum ignotus;
15 verum dabis hoc pro tua humanitate meae vel charitati vel imperitiae, quando-
quidem ego inter sophistas consumpta aetate nec tantum didici, ut eruditum
virum possim per literas salutare, alioquin, quantis iam dudum literis te fati-
gassem nec passus fuisssem, ut perpetuo tu mihi solus loquereris in cubiculo
meo!

20 Nunc quando ex optimo Fabricio Capitone intellexi per nugas illas indul-
gentiarum nomen meum tibi cognitum, tum ex praefatione Enchiridii tua recen-
tissima non modo tibi visa esse, sed et accepta mea fabulamenta, cogor locu-
pletatorem. Quamquam scio te prorsus pro re minima habiturum, quod literis
amantem et gratum me exhibeo, qui abunde contentus es, quod occulta et apud
25 Deum gratitudine et charitate animus in te fervet, sicut et nos sat habemus,
quod ignorantis tuum animum et officia in libris habemus sine literis et cor-
poris tui conversatione; non tamen patitur et pudor et conscientia non gratifi-
cari et verbis, praesertim postquam coepit et nomen meum non latere, ne
malignum cuiquam videri possit et pessimae speciei silentium.

30 Ita, mi Erasme, vir amabilis, si ita tibi visum fuerit, agnosce et hunc
fraterculum in Christo, tui certe et studiosissimum et amantissimum, cae-
terum pro inscitia sua nihil meritum, quam ut in angulo sepultus, communi
etiam coelo et soli ignotus esset; quod et non segai affectu semper optavi, ut
qui essem mihi belle conscius meae suppellectilis. Et nescio quo fato longe in
35 contrarium res abiit, ut cogar multo pudore pati meas ignominias et infelicem
inscitiam etiam coram doctis versari et iactari.

Philippus Melanchthon prospere agit, nisi quod vix tantum officere pos-
sumus omnes, ne literarum nimia insania valetudinis acceleret iacturam; ar-
det pro aetatis calore omnia omnibus simul fieri et facere. Tu officium fe-
40 ceris, si per literas hominem monueris, ut se nobis et bonis literis servet.
Nam hoc capite salvo nescio quid maius spe nobis pollicemur.

Salutat te Andreas Carolostadius, totus Christum in te veneratus. Ipse
Dominus Ihesus servet te in aeternum, optime Erasme, Amen. Verbosus fui,
sed cogitabis non semper eruditas oportere legi epistolas, aliquando cum in-
45 firmis infirmandum tibi est. Wittenbergae, 5. Calend. Apriles 1519.

12. 5. 1521.

Philippo Melanthoni, Euangelistae Wittembergensis Ecclesiae,
suo in Christo charissimo fratri.

5

Ihesus.

Salutem. Tu vero quid interim facis, mi Philippe? An non pro me oras,
ut successus iste, quem invitus admisi, operetur aliquid maius in gloriam Dei?
Atque adeo, quomodo tibi placeat, scire cupio. Verebar ego, ne aciem dese-
rere viderer, nec tamen patebat via, qua volentibus et consulentibus resiste-
10 rem. Nihil magis opto quam furoribus adversariorum occurrere obiecto iugulo.

Ego hic sedens tota die faciem Ecclesiae ante me constituo et illud video
ps. 88: 'Numquid vane constituisti omnes filios hominum?' Deus, quam hor-
rendum irae Dei spectrum est abominabile illud Romani Antichristi regnum!
Ac meam duritiam detestor, qui non totus in lacrimas resolvor, ut et ego fonti-
15 bus lacrimarum flerem interfectos filios populi mei. Sed non est, qui surgat
et teneat Deum aut opponat sese murum pro domo Israel in hoc die novissimo
irae eius. O dignum regnum Papae fine et faece saeculorum! Deus misereatur
nostri!

Quare tu verbi minister interim insta et munito muros et turres Hieru-
20 salem, donec et te invadant. Vocationem tuam et dona agnoscis. Ego pro te
unice oro, si quid potest (sicut non dubito) oratio mea. Tu ergo mutuum redde,
et portemus invicem onus istud. Nos soli adhuc stamus in acie; te quaerent
post me.

Spalatinus scribit edictum tam saevum cudi, ut sub conscientiae periculo
25 sint exploraturi orbem super meis libellis, ut cito interitum sibi comparent.
Gaudet Roboam Dresdensis valde anhelus exsequi talia. Caesarem etiam im-
petitum, ut Regi Daciae scriberet, ne reliquias Lutheranae haeresos recipiat.
Et cantant illud: 'Quando morietur et peribit nomen eius?'

Hartmannus Cronenbergius renuntiavit Caesari stipendium 200 aureorum
30 nummorum nolens servire ei, qui impios istos audiat. Fore credo, ut edictum
istud nusquam saeviat nisi sub Roboam isto et altero vicino vestro, quos gloria
vexat inanis. Deus vivit et regnat in saecula saeculorum, Amen.

Dominus percussit me in posteriora gravi dolore; tam dura sunt excre-
menta, ut multa vi usque ad sudorem extrudere cogar, et quo diutius differo,
35 magis durescunt. Heri quarto die excrevi semel, unde nec tota nocte dormivi
nec adhuc pacem habeo. Ora quaeso pro me. Nam intolerabile fiet hoc ma-
lum, si promoveat, ut coepit.

Cardinalis Salisburgensis comes ivit Ferdinando ad sponsam Inspruckii
vigilia Philippi et Iacobi, id est quarto die recessus nostri. Dicitur Ferdinando
40 comes is displicuisse, sed et Caesari, ut Spalatinus scribit. Sed tu ipse lege
litteras eius. Fac ut omnia scribas, quae apud vos aguntur et ut omnia habent,
ac vale cum carne tua. Dominica Exaudi 1521, in regione avium.

T. Martinus Lutherus.

13. 7. 1521.

Philippo Melanthoni, servo Christi fidei,
Wittembergensis Ecclesiae Euangelistae.

5 Displicuerunt literae tuae duplici nomine: primum quod impatientius te
ferre crucem intelligo nimiumque indulges affectibus ac tener es tuo more,
deinde quod me extollis nimio et erras vehementer, dum tanta mihi tribuis,
quasi pro causa Dei adeo sim sollicitus. Confundit ac discruciat me tua egre-
gia ista suspicio mei, cum ego hic insensatus et induratus sedeam in otio,
10 pro dolor, parum orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei, quin carnis meae
indomitae uror magnis ignibus; summa: qui fervere spiritu debeo, ferveo
carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia, ac nescio, an, quia vos non ora-
tis pro me, Deus a me aversus sit; tu iam in locum meum succedis, donis
Dei gravior et gratior.

15 Octo iam dies sunt, quod nihil scribe neque oro neque studeo, partim
tentionibus carnis, partim alia molestia vexatus. Si res melior non erit,
omnino Erfordiam ingrediar publico titulo; ibi me videbis vel ego te; medi-
cos enim aut chirurgos consulam. Non est enim, quod feram amplius id mali,
cum decem vulnera magna facilius ferre quirem quam modicum hoc laesionis
20 iudicium. Forte et ideo sic me molestat Dominus, ut ex ista eremo me in
publicum rapiat.

Emsero ego non respondebo; respondeat, qui visus fuerit tibi idoneus,
vel Amsdorffius, nisi is dignior sit, quam ut cum hoc stercore committatur.

25 Tuam in asinos Parrhisienses Apologiam cum illorum insania statui
vernaculo dare adiectis annotationibus. Valde vellem Oecolampadii de con-
fessione librum apud vos itidem vernaculum fieri, ut rumpantur papistae.
Ego Postillas in Euangelia vernacula tracto, statim missurus ad incudem, ubi
denarium attigero.

30 Quando sic floret res vestra, me plane nihil habetis opus. Atque tibi
quoque indignor, quod tantis te laboribus oneras nec audis, ut parcas tibi.
Ideo te sensus tuus ducit singulariter. Toties hoc inclaro, sed toties surdo
fabulam narro.

De gladii iure sic sentio ut prius. Nam tu mihi videris petere aut man-
datum aut consilium ex Euangelio super hac re. In quo plane tecum sentio
35 neque praeceptum neque consultum esse huiusmodi ius in Euangelio. Neque
conveniebat ullo modo, cum Euangelium sit lex voluntariorum et liberorum,
quibus nihil commune cum gladio aut gladii iure. Sed nec prohibitum est eius
ius, imo confirmatum et commendatum, quod prorsus de nulla permissarum
rerum legimus. Nam et ieiunia et externae ceremoniae neque praeceptae
40 neque consultae sunt in Euangelio, sed neque ulla rerum temporalium cura.
Aequae enim non conveniebat de iis disponere Euangelio, quae solus Spiritus in
sua libertate disponit. Sed nunquid ideo ius non est utendi illis? Imo nonne
necessitas huius vitae requirit eiusmodi ius et usum?

45 Tua ratio pulchre faceret, si omnes obedirent Euangelio. Ablato enim
gladio (cum necesse sit malos plures esse) quamdiu stabit ecclesia Dei in hoc
saeculo, cum nullus neque vita neque rerum usu praeter malorum licentia potiri
queat? Sed tu rationibus et inconvenientiis non vis urgeri, sed Scripturis.

Dixi antea neque praeceptum neque consultum esse gladium, sicut neque

multa alia, esse tamen commendatum et confirmatum sicut ius matrimonii, quod itidem nihil ad Euangelium pertinet. Habes enim Iohannem Baptistam Lucae 3., qui milites instituit dicens: 'Neminem conculcatis, neque calumniam faciatis, sed estote contenti stipendiis vestris'. Certe nisi ius gladii haberent, prohibere debuit, quum illi quaestionem tuam proprie moverent dicentes: 'Quid facere et nos debemus?' Hic institutam non habes, confirmatam tamen habes militiam. Nonne cogitas multo difficilius esse tibi, quid respondeas satis hunc locum contra te adducenti, quam quid tibi respondeatur? Paulus 1. Timoth. 2. iubet orare pro iis, qui in sublimitate constituti sunt, exemplo Hieremiae pro rege Babylonis orare iubentis, et non iubet orare contra sublimitates tanquam rem vel prohibitam vel nullius iuris existentem.

At illi ethnici erant, inquis. Sed non orabant, ut fideles fierent, sed ut et essent et subsisterent in pace. Non mihi persuadebis posse orationem iuberi aut ab apostolis aut a prophetis pro iis rebus, quae tantum permissae et ferendae sunt, ut subsistant et quietae sint; alioqui pro raptoribus et (ut interpretaris) tyrannis iniquis, ut iniqui sint, orabimus.

Iam Apostolum ad Roman. 13. et 1. Petri 3. non sic a te reiici patior, quasi huc non valeant aut tantum subditos erudiant. Non hoc efficies, Philippe. Verba Dei sunt et magnum sonantia, ubi dicit: Potestas a Deo est, et ordinationi Dei resistit, qui potestati resisit, et 'minister Dei est'. Non invenies hoc dici in rebus permissis tantum. Non est minister Dei, sed hostis, qui iniuriam facit aut quaecunque non ferenda infert, nec est permissio vel res permissa minister Dei. Aliud longe est, quod aliquoties scribitur Deus gentem super gentem excitasse, (ut regem Babylonis contra Tyrum, in Ezechiele servum vocans, et spiritum regum Medorum contra Babylonem, in Hieremia suscitans) et aliud, quod potestates pro pace ordinare dicitur, ad Roman. 13. et 1. Timoth. 2. Nam hic timori mali operis, non boni constitutam dicit, illic vindictae et iam facti mali operis ratio habetur.

Iam quid facies, quum Abraham, David et sanctos antiquos legas gladio usos optime? Quos fuisse viros euangelicos certum est, licet pro tempore tantum uterentur. Certe usum rei, qua illi usi sunt laudabiliter, non est pium ab euangelicis viris negari. Neque enim Abraae quidquam erat de gladio mandatum aut consultum, praesertim cum in Euangelio non sit revocatum neque prohibitum, sed (ut dixi) confirmatum, utique in iis, qui Christiani erant seu fideles, id est militibus Ioannem interrogantibus.

Cum ergo Christus in Euangelio res divinas et coelestes instituere debuerit, quid mirum, si gladium non instituerit, qui humanis creaturis facile ordinari potest, et tamen sic eum tractat, ut, nisi Euangelio repugnaret eum a se institui, vellet instituere, dum commendat et confirmat institutum, imo dum plane asserit divinitus ordinatum.

Petrus et Iudas etiam potestates sperni et maledici ab Antichristo quam indignantur! Aut nunquid permissa licentiosa aut iniqua non licet spernere? Honorem eis et reverentiam vult haberi. Sed nunquid idem vult permissis et iniquis?

His locis Scripturae captus non habeo, quod mihi respondeam, Philippe; multo minus mihi satisfacies in hanc partem, quam ego tibi in tuam. Tu nullum locum habes, qui vel damnet vel prohibeat vel ullo modo fugere doceat; ego tot modis confirmatam, commendatam, honorandam, oratione Deo commendandam habeo potestatem huius mundi, nisi quod ab euangelio neque imperata neque consulta sit, quod nec matrimonium, nec domus, nec disciplina domus aut civitatis, aut ulla rerum corporalium administratio et cura. Tu si

quid aliter revelatum habes, ostende, sed sic ostende, ut prohibitam, fugiendam aut solum permissam asseras. Christus enim Pilato datam desuper potestatem dixit; Deum autem dare non in malum hoc loco sonare puto. De his satis.

5 Gratulor Amsdorffio substantia aucto, sed magis feliciter profitenti Apostolum. Iam saturi estis, sine me regnatis, nec video, quid sit, cur tantopere me desideretis aut quae necessitas meae operae vobis sit. Tu tibi ipsi accersere videris cogitationes, cum felicius habeant res vestrae me absente quam praesente. Tu legis, Amsdorffius legit, Ionas leget. Obsecro, solis
10 vobis vultis annuntiari regnum Dei? Non et aliis oportet euangelizari? Non dabit vestra Antiochia vel Silam vel Paulam vel Barnabam in opus aliquod spiritus?

Dico tibi: quamquam omnium libentissime apud vos sum, tamen nihil gravarer (quando iam vos abundatis), si vel Erfordiae vel Coloniae vel alibi
15 me Dominus vellet ostio verbi dignari. Quam multa, quaeso, messis ubique, et pauci operarii! vos autem estis omnes operarii. Ratio certe non nostri, sed fratrum nostrorum ubique dispersorum habenda est, ne forte nobis vivamus, id est diabolo, et non Christo.

Quare vide, ne nimio carnem invicem sapiamus, ut magis praesentiam
20 carnis quam spiritus quaeramus. Ego paratus sum ire, quo Dominus volet, sive ad vos, sive alio. De reditu meo nihil scio prorsus, scis, in cuius mansuetum sit.

Scribit mihi Spalatinus non esse disputatam partem conclusionum de confessione mandato Principis, quod mihi displicet miro modo. Obsecro, deinceps
25 semper praevenite consilio aulae, non sequimini, sicut ego hactenus feci; dimidio non factum esset, si in illius consilio pependissem. Sunt etiam ibi homines, sicut et nos. Expostulabo de hoc cum Spalatio. Haec inflant fiduciam adversariis nostris et timidos nos arguunt. Vale. Literas has iamdudum scriptas ferre promisit quidam et fefellit. Orate pro me quaeso vos; peccatis
30 enim immergor in hac solitudine. Ex cremo mea, 1521 die Margarethae.

Martinus Lutherus, Eremita.

* * * * *

The following sermon is from Werke, vol. V. pp. 424-428.

SERMO,

35 Die S. Matthiae A. 1517.

'Abscondisti ea sapientibus et intelligentibus et revelasti parvulis',
Matth. 11. Homo abscondit sua ut neget, Deus abscondit sua ut revelet. Abscondit enim sapientibus et magnis, ut humilientur et insipientes fiant, et sic
40 parvulis revelet: hoc enim placidum est coram eo et optima voluntas, iusta et recta et sancta. Et quae melior voluntas quam quae sua absconsione nihil aliud facit quam ut impedimenta revelationis tollat, i. e. superbiam? Duo hic quaeruntur: Quid sint sapientes et intelligentes, quibus absconduntur ista? Alterum quae sint illa abscondita?

Ad primum passim respondetur, quod 'sapientes et intelligentes' sint,
45 qui sibi videntur tales et vere non sunt. Hanc glossam veram quidem sed

obscuriorem quam sit ipse Textus multi dicunt, qui ipsimet tales sunt et non credunt se tales esse, imo abominantur eiusmodi. Haec enim glossa sic sonat, quasi aliqui sint sapientes, alii sibi videantur tantum, quae est periculosa intelligentia, proxima superbiae istisque propria, qui eiusmodi sapientes sunt. Ideo Christianis dicendum: Sapientes isti sunt, quicumque quod-
5 cunque sapiunt, maxime in sapientia Dei et sacra Scriptura. Tales enim omnes et sunt et videntur sibi sapientes. Porro illi, quos ipsi appellant vere sapientes, qui non sibi videntur: hi sunt non qui sapientiam habent, sed stulti et egentes sapientia et intelligentia, videntes sine omni fictione cordis se vacuos
10 esse et prorsus nihil scire. Hi, inquam, vere insipientes sed sapientiam sicientes, ipsi sunt sapientes vere. Caeteri omnes sive sibi videantur, ut sunt rustici et crasse ignorantes, sive habeant sapientiam, ut subtiles hypocritae, omnes sunt 'sapientes', quia non insipientes, non vacui, non esurientes sapientiam, non parvuli. Unde Apostolus, egregius Doctor, non ait: 'qui vult esse
15 sapiens inter vos', stultus sibi videatur aut se reputet, sed 'sit stultus, ut sit sapiens'. Nam haec est vera enunciatio: Stultus est sapiens et sapiens est stultus, Stultus scilicet sua sapientia et stultus aliena, i. e. Dei iudicantis et imputantis. Qui enim se agnoscit, sicut vere est stultus coram Deo, huic imputatur haec humilitas pro summa sapientia.

20 Qui ergo vere sunt sapientes, i. e. insipientes, hi semper dicunt 'Dirige, Domine, in conspectu tuo viam meam' et 'gressus meos dirige'. At qui sic orat, utique coecum et insipientem sese confitetur, ut patet, Non autem videtur sibi insipiens, quasi nihilominus sit sapiens. Sapientes autem, i. e. stulti, dicunt 'Quis ostendet nobis bona?' 'Nos sumus quod sumus, pie intentionis et
25 rectae dictamen rationis sequimur', sicut Cicero de Senectute gloriatur, quod in hoc sapientes sint, quod rationem tanquam optimam ducem sequuntur. Haec ergo recta ratio, hoc dictamen, haec prudentia naturae, quae nunc per omnia pulpita resonant et iactantur, ipsa est sapientia et prudentia, cui abscondit pater ea quae sua sunt, ut eam stultam et ream faciat et gratiam dirigentem
30 quaerere cogat. Porro sapiens et intelligens possunt ita distingui, quod sapiens est, qui iuvenum est et aliorum Magister, potens alios docere, intelligens, qui capax sit eorum quae traduntur. Utrique enim stulti sunt apud Deum.

Ad secundum respondetur quod ista abscondita sint ipse Christus et Deus Pater. Sed statim ipse resolvit dicens: 'Omnia mihi tradita sunt a Patre meo
35 et nemo novit filium nisi Pater neque Patrem quis novit nisi Filius et cui Filius voluerit revelare'. Igitur cognitio Dei et Christi, Patris et Filii, haec sunt abscondita, in quae impingunt maxime sapientes et sancti, Sicut dicit Iohannes: 'Et haec facient vobis (occidendo arbitraturi se obsequium praestare Deo), quia non noverunt Patrem neque me'. Ideo enim arbitrantur se obsequium
40 praestare Deo, quia sunt sapientes et intelligentes, non parvuli, Ideo autem sapientes, quia haec abscondita, nec Patrem nec Filium cognoscunt. Quae est ergo cognitio Dei a Christo tradita? Ergo omnia nobis ablata et nihil nobis relictum? Ubi ergo est sapientia? Ubi iustitia? Ubi veritas? Ubi virtus? Non in nobis, sed in Christo, extra nos in Deo. Ergo sic parvuli, stulti, peccatores, mendaces, infirmi, vani facti sumus, dum omnia Christo dantur.
45 Ergo nec Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater cognoscit, quia omnia sunt Patris solius et soli Filio data. Et ita nos evacuati omni cognitione prorsus ac per hoc iam parvuli et apti quibus revelet Pater sua, quibus revelet et Filius sua, i. e. eadem uterque revelat et idem revelat, una revelatio, unus revelator.
50 Glorificat Pater Filium et glorificat Filius Patrem, ut in Iohanne dicitur. Disce ergo, ubi sit sapientia, ubi virtus, ubi intelligentia. Baruch ait cap. 3.

'Utique Deus noster solus invenit eam.' Ergo non ex nobis nec in nobis, sed in Deo quaerenda. Hic eam tradidit Iacob puero suo et Israel electo suo. Et Ioh. 12. 'cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum'. Ergo nihil reliquit nobis? Ita sane. Ubi ergo sapientes?

5 Scite itaque, quod iustitia, virtus, sapientia nostra sit ipse Christus a Deo nobis factus, in quem posuit Deus Pater omnem sapientiam, virtutes, iustitiam suam, ut nostra fieret. Hoc est nosse Filium. Deinde scite, quod Pater misericordia sua nobis reputet iustitiam Filii sui, i. e. suam ipsius, Quia eadem est iustitia Patris et Filii, eadem vita, virtus nobis donata. Hoc
10 est nosse Patrem Christi. Haec autem sapientibus ita sunt abscondita, ut cum haec audierint statim garriant 'Non operemur bona, faciamus mala ut veniant bona. Si extranea iustitia et Dei sola misericordia iusti sumus, otiosi simus, siquidem nostra opera nihil sunt nec sapientia aliquid est.' Sic, sic loquuntur, qui sapientes et iusti sunt nimis, qui si primo parvuli essent, ut Patrem et
15 Filium accipere revelantem se ipsum possent, hanc quaestionem facile solverent, quod non sint otiosi, in quibus sapientia Christus revelata est, et qui non iam ipse sed Christus in eo vivit; non est metuendum, ne Christus sit otiosus, Imo actuosissimus est, et id ipsum cum omni suavitate et facilitate, ubi illi sua sapientia et iustitia laborant, sudant, onerantur mira miseria et
20 frustra. Nam suis consiliis et studiis et viis nituntur ad quietem conscientiae pervenire et non ante pausare quam intelligant sua peccata satisfactione purgasse et suae intentioni satisfacisse, quod est impossibile et super arenam aedificare.

Ideo quantumcunque operentur, laborent, speculentur, nihil aliud faciunt
25 quam quod animae inquietudinem augeant quam per haec fugere quaerunt, Quae non effugitur nisi sciendo Patrem et Filium, i. e. gratiam et misericordiam Dei in Christo nobis gratis datam et merita Christi nobis imputata. Istis ergo nunc dicit: 'Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos', non ipsi vos reficietis, i. e. quietos facietis, sed ego. Quid in
30 vobis manetis? Exite de vobis et venite ad me, desperate de vobis et sperate in me. Sicut Abraham exivit de terra, cognatione, domo sua et Patris sui. Nam domus Patris nostri sumus ipsi nos, nos sumus raundus ipse: ergo ex nobis eundum, quia laboramus et oneramur. Et aptius in Graeco: Venite ad me omnes, qui estis laborantes et onerati. Mitius enim esset, si onerati la-
35 boraremus, ut onus esset labor. Nunc autem et labor est onus. i. e. laboramus, ut quiescamus, et id ipsum laborare magis nos onerat, quia peccatum magis augetur nostra iustitia et operibus, non alleviatur nec securatur conscientia, sed magis affigitur per illam. Ut Eccles. 10. 'Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.' Et supra: 'Qui transfert lapides affigetur in eis, et qui scindit ligna vulnerabitur ab eis.' Haec sunt officia et
40 opera iustitiariorum. Nam et vulgo dicitur de difficultibus laboribus: ich wolte lieber Steine tragen und Holz hauen, Et tamen haec duo opera quid faciunt nisi aliis serviunt et non sibi? Igitur requiem animarum audiamus: 'Tollite iugum meum super vos'. Non ait 'operamini illa vel illa', sed 'venite ad me, relinquitte vos et tollite crucem vestram post me. Qui enim non
45 accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.' Venire enim ad Christum et exire de se ipso est magna crux, quam nemo magis horret quam qui suis operibus peccata purgare quaerunt. Quia hi omnes non peccata, sed poenas peccatorum evadere cupiunt (Servi enim sunt, peccatum non odiunt, sed tantum poenam peccati): ideo multis sanctificationibus quaerunt ignem
50 inferni extinguere, poenam iudicii effugere. Sed quia peccatum semper manet,

ideo et poena conscientiae non transit: quaerunt enim quae sua sunt. Ideo
'non est pax impiis'. Qui si se relinquerent et peccata sua odissent, iam nul-
lam poenam haberent, nec timerent, quia ablata culpa poena per se ipsam ces-
sat. Sed se ipsos relinquere nolunt et timent hoc leve iugum Christi. Ideo
5 laborant sub onere suo, et timent, ubi non est timor, et trahunt sicut plaus-
trum peccatum.

Adhuc servilem iustitiam mire perficiunt ipsae effusiones indulgentiarum,
quibus nihil agitur quam ut populus discat timere, fugere, horrere poenam pec-
catorum, non autem ita et peccata. Ideo parum sentitur fructus indulgentiarum,
10 sed magna securitas et licentia peccandi, Ita sane ut, nisi timerent poenam
peccatorum, nullus vellet optare gratis istas indulgentias, Cum potius populus
ad poenam amandam esset exhortandus et crucem amplectendam. Et utinam
ego mentiar, qui dico, indulgentias forte ita rectissime dici, quia indulgere
est permittere et indulgentia impunitas, permissio peccandi et licentia eva-
15 cuandi crucem Christi. Aut si permittendae indulgentiae, non nisi infirmis in
fide sunt dandae, ne scandalizentur qui non per crucem nituntur ad mititatem
et humilitatem pervenire, ut hic dicit Dominus. Nam non per indulgentias,
sed per mititatem et humilitatem hic dicit inveniri requiem animarum. Mi-
titas autem non est nisi in poenis et cruce, a qua illae indulgentiae absolvunt,
20 quam horrere docent, et faciunt ut nusquam efficiamur mites et humiles, i. e.
nunquam indulgentiam consequamur nec ad Christum veniamus. O pericula
nostri temporis! O stertentes Sacerdotes! O tenebras plus quam Aegyptiacas!
Quam securi sumus in omnibus pessimis malis nostris!

* * * * *

25 The following sermon is from Werke, vol. VII,
pp. 118-132.

Ostersonntag vormittag (28. März) 1529.

(Ostergeschichte: Die Frauen und Jünger am Grabe
und die Auferstehung).

Quandoquidem nunc solemne sacrosanctum paschatis festum peragamus
30 atque insigne illud et praeclarum resurrectionis opus celebremus, Itaque et
nos de eo agemus, quo cognitum habeamus, quae sit resurrectio Christi do-
mini nostri, Quis item eius fructus et quid inde nobis decerpendum expectan-
dumque. Primum vero obiter historiam hodiernae diei et gesta perstringamus.
'Vespere autem sabbati quae lucescit in primam sabbati, venit'. Magna et
35 mira fuit harum muliercularum pietas et probitas nec non singulari amore
dominum Christum prosequabantur. Quapropter summo paschatis die peracto
quo nihil operis facere Iudeis prohibitum erat, cogitant de instituendo unguento,
ut unctum eant corpus domini. Usitatus enim et familiaris ungenti mortua
corpora mos erat Iudeis Et fuit haec consuetudo non illaudabilis et laudabili
40 origine profecta utpote quae ex promissione et verbo divino profluxerat. Iudei
enim certo habebant e scriptura mortuos olim ad vitam redituros Aliamque
post hanc fore vitam quae perpetuo duratura nesciret finem. Atque in huius
rei memoriam inungebant mortuorum cadavera. Parato itaque unguento per-
gunt sub auroram ad monumentum mulieres. Porro euangelistae admodum
45 diligentes sunt in describendo tempore resurrectionis domini, quo quam

propriissime et certo indicent horam qua dominus resurrexit. Alius ait 'valde mane vixdum exorto sole', Alius 'profundo diluculo', Rursum alius 'Cum adhuc tenebrae essent'. Matheus dicit factum esse 'vespere sabbati quae lucescit in prima sabbati'. Et scribit Matheus hic hebreo more, quo commodius haec
5 caperent et intelligerent Iudei, qui diem vespere exordiebantur et vespere sequentis diei finiebant eratque illius diei mane finis vesperae quae ordiebatur diem. Et surrexit Christus prima sabbatorum die quae prima sequebatur summum festi diem Nam supputandi et appellandi sabbati ratio apud Iudeos haec erat, ut integros sex dies sequentes summum paschae diem sabbati nomine
10 appellarint Veluti si apud nos secundam paschae feriam secundam paschatis, terciam terciam paschatis diem et sic deinceps appelles. Ceperunt autem numerare a proximo post summum sabbatum die, quam primam sabbatorum, tertium festum diem secundum sabbatorum et sic deinceps appellabant. Ceterum scripta sunt haec eoque pertinent, ut certificetur et confirmetur fides nostra de
15 domini resurrectione.

Mulieribus autem institutum iter prosequentibus factus est terraemotus. Angelus enim domini descenderat de celo et lapidem ab ostio monumenti abegerat. Observa autem hoc loco, quanto dilectionis affectu hae mulieres erga Christum rapiantur, adeo ut etiam omnium rerum obliscentes ad Christum
20 anhelent et miro desiderio properent ad sepulchrum, ut Christi corpus ungant. Non meminerunt ingens saxum ad monumenti ianuam volutum et obsignatum esse sepulchrum adeoque custodes esse adhibitos, qui accessum prohibeant. Horum omnium illis inciderat oblivio et solum quo ardens Christi amor ducit, eunt. Venientes itaque ad sepulchrum vident amotum lapidem. Christus enim
25 angelo descendente iam e monumento abierat. In ipso enim terraemotu surrexerat et corpore glorificato clauso monumento exierat. Atque hoc ferre potuerunt custodes citra terrorem. Verum ubi vident advenire angelos et sepulchro insidere, hic vehementer terrentur et exanimes redduntur. In ipsa igitur terrae concussionem resurrexit Christus atque in hunc modum facere
30 consuevit Christus, cum aliquod insigne et praeclarum facinus exhibere et praestare intendit. Sic ps. 17. 'Commota est et tremuit terra'. Item 67. 'Terra mota est et celi destillaverunt a facie dei Synai.' Et in ipso mortis articulo concussa est terra, Et fere ubique egregium et memorabile factum aut praecessisse aut consecutum esse terraemotum legimus. Est praeterea hoc
35 terrae motu haud obscure declaratum totum orbem ad euangelii praedicationem commotum ac concussum iri et ut ob oculos videmus, quam insaniam, quam tumultuetur, quamque se viat mundus, ubi sincere annuntiatur euangelium et veritas libere proclamatur. Et hoc nobis solatio esse debet, cum sciamus rem aliter fieri non posse, quin ubi praedicetur euangelium omnia
40 tumultu et seditionibus ardeant et corroborandum est pectus quo huiusmodi insultibus et insaniis non statim frangatur, defitatur. Neque dico: resiliendum est a cognita veritate, si non parum multos adversus eam reluctari et reniti cernamus, Et si ipsi Christum noci tradere et sepulchro includere non verentur, potens est deus eum revivificare et de sepulchri carcere reducere.
45 Neque nobis aut admittendum aut ferendum est, quo pacto ut Christus ab impiis hipocritis et phariseis in sepulchrum coniectus, sepultus retineatur et abditus maneat.

'Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?' Quamvis mulierculae de revolutione lapidis propter eius molem et magnitudinem desperabant,
50 nihilominus tamen a cepto non desistunt, sed magno domini ardore flagrant recto ad monumentum pergunt Et cum recto accessissent, vident sub latum

saxum ab ore sepulchri et aditum monumenti patere. Ingressae itaque monumentum nec inveniunt corpus Christi a Iudeis ablatum suspicantur. Dum itaque anxiae et sollicitae sunt de corpore ablato, astant eis duo angeli specie iuenculi, veste fulguris in morem relucente atque hi mulieres tali sermone
5 compellant: 'Quid queritis viventem cum mortuis'? Redeat in memoriam, quid adhuc vivus sepe numero dixerit vobis. His itaque gestis mulieres ad discipulos properant et undecim apostolos eisque nuntiant, quae vidissent quacque audissent ab angelis. Ceterum apostoli et discipuli mulierum sermonibus nihil adhibent fidei. Itaque quod illae narrabant de sublato saxo ab ore sepulchri,
10 de conspectis sibi angelis deque vacuo sepulchro apostolis atque discipulis visum est muliebri deliramentum. Ita usu venire solet, ut corde mesticia op-pleto et quasi sepulto luctu nihil aliud quam quod cor sentit nobis persuadere possimus, ut etiam res quantum vis vera, si a cordis sensu diversa sit et aliena, nullum apud nos sortiatur nec inveniet sedem. Quemadmodum pre-
15 mentibus et peccatis urgentibus nihil aliud praeterquam mortem et infernum nobis pollicemur et expectamus, etiam si quam diligentissime auribus nostris instilletur per Christum peccata esse sublata et remissa omnibus qui se fide in ipsum reiecerint. Non potest enim non iudicare cor iusta id quod sentit. Apostolis itaque et discipulis fidem non habentibus verbis mulierum neque cre-
20 dentibus Christum resurrexisse neque ipsae mulieres illorum exemplo motae crediderunt nec aliud in animum inducunt quam corpus a Iudaeis alio esse asportatum.

Currebant autem duo pariter, Iohannes, ut inferior cedat superiori Petro, utpote seniori et cui propter etatem reverentia et honos debebatur. Con-
25 firmat vero illorum incredulitatem et suspicionem de sublato corpore quod seiecta et seiuncta vident lintheamina. 'Quia', inquit Iohannes, 'Non dum noverunt scripturas'. Quas si novissent, non uterque adeo difficiles et tardi ad credendum domini resurrectionem fuissent. Et haec est secunda ad sepulchrum profectio habita inter mulieres et apostolos. Prior inter solas mulieres
30 extitit. Ab omnibus autem apostolis et discipulis nihil minus quam ad vitam dominum rediisse credentibus, mulieres sunt viris ardentiores: permanserunt ad sepulchrum inquirentes in horto corpus Christi, sicubi in horto a Iudeis forte esset sepositum. Et hic demum Christus mulieribus apparet et videndum exhibet. Haec veluti in transcurso de historia dominicae resurrectionis dicta
35 volumus. Nunc de eius fructu et commodo porro dicemus.

Proximum quod cognitam historiam recte sequi debet, est, ut ad eam probe et utiliter inspiciendum Christianos oculos adferamus. Nos enim eo sumus ingenio, ut facta Christi non alio vultu intueamur quam historiam de Caio, Cesare aut aliam de quopiam homine eximio et insigni, Et rem recte
40 curatam existimamus, si eam noscamus. Sed certe non satis est nosse Christum a patre celesti ad vitam revocatum, ni id nostri causa factum putemus et vero verius habeamus. Eo enim nobis est perveniendum, ut fide statuamus Christum propter iustificationem nostri resurrexisse, ut ita resurrectio Christi non alia sententia a fidei quopiam homine inspiciatur atque ut opus
45 nostrum sit, quod nos pertingit et in commodum et utilitatem nostram cedat. Atque hoc demum recte est accepisse domini resurrectionem et verum eius usum et fructum percepisse Et ut multum interim scire, quod Christus sit tuus servator. Ita plurimum differunt nosse Christum a mortuis suscitatum et tenere, quod tui causa sit exuscitatus. Hoc omnium difficillimum est cre-
50 ditu. Quamvis interim et suam habeat difficultatem firmiter credere Christum resurrexisse. Quam rem haud obscurum est videre in huiusmodi mulieribus

et discipulis adeo egre dominum surrexisse animum inducentibus. Adeo non levis operae nec momenti res est fides. Hinc virtutem et vim adeoque opus dei ignorant qui nobis exprobant et vitio dant, quod tam seduli et diligentes nimium simus in iteranda et inculcanda fide dicitantes non Christianis, sed
5 gentilibus incredulis fidem praedicari et praeponi debere. Ceterum si qui haec effutiunt, propius intuiti et contemplati fuerint germanam fidei naturam, quam res sit ardua et difficultatis plena recte credere, non diffido, quin aliter et sentirent et de fide loquerentur. Aperiendi cordis et mentis oculi et introspitiendum tamquam nostrum bonum. Accepimus autem in supplitio
10 Christi, quomodo peccatum, mors et sathan cum Christo se gesserunt, quantum sevitiā in eum exercuerunt omnesque suas vires executi sunt, peccatum suppressit et succumbere fecit. Mors praevaluit Ita ut undequaque omni praesidio et auxilio destitutus, a peccato et morte suppressus et in sepulchrum coniectus sit. Porro haec tua peccata, tuam iniquitatem, tuam mortem fecisse
15 nullum sit dubium. Verum quid fit, ubi peccatum et mors securissime sunt victoriae triumphantes et ovantes? E sepulchro erumpit Christus profligato peccato, devicta morte, demolito inferno, et omnem illis potestatem ac tyrannidem eripuit. Et haec omnia nostri causa sunt facta et nobis in bonum cedunt. Nam nostra peccata Christus profligavit. Nostram mortem superavit, ut il-
20 lius victoria nostra sit. Com itaque obtutus in Christum deflexero, reperio omnia mea scelera, peccata, mortem et diabolium in nihilum redacta. Atque in hunc modum Christum intueri non mediocris est artificio et artis perquam rarae et singularis. Carthusiani et iusticiae propriae fidentes peccata sibi ob oculos ponunt mortemque intuentur. Verum peccata propriis opusculis eluere,
25 mortem propria sanctitate et iusticia convincere praestituunt ac nihil minus quam hoc praestant. Et quia hoc praestare nequeant, constituunt homines miseri nihil esse quod peccata tollere, mortem abolere possit. O praestigias et imposturam sathanae sic illudentis homines et a fiducia in supplitium Christi avocantis. Quod si nostris viribus operibusque peccata auferri, mors superari
30 poterat, quorsum attinebat aut opus fuerat filium dei tam dira subire et perferre supplitia. Si itaque peccatis te premi sentis et in morte ac desperatione constitutum consistere non poteris nec quicquam te iuvare potest, nisi oculos a peccatis tuis aversos in Christum qui haec abstulit, conitias illique fide ad-
35 hereas, certus quod scelera tua atque delicta in cinerem redegerit Et quae necessitas incumbabat Christo aut quid eum horsum adigit, ut peccata patiendo in cruce mortemque aboleverit. Nam non fuit, quod sui causa id faceret, cum ipse ab omni peccatorum scelerumque labe immunis esset. Consectaneum igitur est ob nostra peccata abolenda et mortem extinguendam Christum tam
40 diris supplitiis se exposuisse. Habeamus igitur fide ratum nostra peccata, nostram mortem illius humeris impositam atque illum haec devicisse et in universum abstulisse. Quemadmodum baptista ait 'Ecce agnus dei qui tollit peccata mundi'. Quapropter vide ne alio ponas peccata quam quo a scriptura ea sunt seposita, nec mortem alio ponas loco quam quo scriptura posuit. Ex
45 qua re fiet, ut nihil in te possit neque peccatum neque mors neque sathan. Ceterum nihil difficilius est atque credere tua peccata non esse tua, mortem tuam non esse tuam, sed Christi, qui haec a te super se tulit, et in cruce abolevit. Verumtamen si nostrae saluti prospectum et nobis consultum volumus, oportet ut indubitata fide sentiamus constituamusque nostra peccata non esse nostra, verum Christi in quem translata sunt. Nequeunt vero commodum in illo per-
50 manere, sed evanescere prorsus. Estque eo nobis perveniendum, ut magna cum fiducia dicamus: Ego quidem nullum plane scio peccatum, nescio mortem.

Nescio sathanam. Et si qua sunt peccata, Christo sunt imposita, quem si pre-
munt et damnant, et me prement et damnabunt. At hoc ne credamus, omnibus
viribus et omni conatu sathan impedire nititur. Novit enim, quantum dispendii
5 suas vires exhauriri, quod admodum egre fert, quare etiam tantopere relucta-
tur et toto capite sese opponit huic praedicationi. Adversus hanc exuscitat re-
ges, principes, sectas et pseudodoctores, per quos extinguere hanc doctrinam
molitur. Neque enim nescius est hac doctrina regnum suum devastari seque
pedibus conculcari, dum hac arrepta homines plena fiducia in Christum se rei-
10 titiunt. Porro hanc fidei virtutem qui nesciunt, illis res inanis et vana adeoque
nullius frugis est fides.

* * * * *

The following text of the Formula Missae of 1523, edited
by Hans Lietzmann, is published by de Gruyter in the
Kleine Texte series.

15 FORMULA MISSAE ET COMMUNIONIS
PRO ECCLESIA WITTEMBERGENSIS

VENERABILI

In Christo D. Nicolao Hausman Episcopo Cygnaeae Ecclesiae
In Christo Sancto Mart. Lvther

20 Gratiam et pacem in Christo optat. Hactenus libellis et sermonibus egi
inter populos, vt corda primum ab impijs opinionibus ceremoniarum auocarem,
Christianum et comodum arbitratus me facere, si causa fierem, vt absque
manibus contereretur abominatio, quam Satan per hominem peccati in loco
sancto statuerat, Pro inde nihil vi aut imperio tentavi, nec vetera nouis mutavi,
25 semper cunctabundus et formidabundus, tum propter imbecilles in fide animos,
quibus subito eximi non potuit, tam vetus et inolita, nec inseri tam recens et
insueta ratio colendi dei, tum maxime propter leues illos et fastidiosos spiri-
tus, qui ceu sues immundae, sine fide, sine mente irruunt et sola nouitate gau-
dent, atque statim vt nouitas esse desiijt, nauseant, Quo genere hominum, cum
30 in rebus caeteris nihil est molestius, tum in rebus sacris sunt molestissimi
et intolerabiles, quamuis, vt rumpar ira, ferre illos cogor, nisi velim et
Euangelion ipsum e publico tollere.

Sed cum iam spes sit, multorum corda, per gratiam dei illustrata esse
et roborata, ipsaque res poscat, vt tandem scandala tollantur de regno Christi,
35 audendum est aliquid in nomine Christi. Iustum est enim, vt vel paucis con-
sulamus, ne dum perpetuo leuitatem et abusum illorum formidamus, nullis
prorsus consulamus, et dum istorum futura scandala cauere volumus, vniuer-
sas abominationes illorum roboremus. Quare de formula aliqua pia missandi
(vt vocant) et communicandi, vt et tu postulasti toties optime Nicolae, agemus,
40 ac sic agemus, vt non amplius solum verbo doctrinae corda regamus, sed ma-
num quoque apponamus, et publica administratione in opus perducamus, nulli
prorsus preiudicantes, ne aliam amplecti et sequi liceat. Quin ex animo, per
Christum obsecramus, vt siquid melius illis reuelatum fuerit, nos priores
tacere iubeant, vt communi opera rem communem iuueamus.

Imprimis itaque profitemur, non esse nec fuisse vnquam in animo nostro, omnem cultum dei prorsus abolere, sed cum qui in vsu est, pessimis additamentis viciatum, repurgare, et vsum pium monstrare. Nam hoc negare non possumus. Missas et communionem panis et vini, ritum esse a Christo diuinitus institutum. Qui sub ipso Christo primum, Deinde sub Apostolis, simplicissime atque piissime, absque vllis additamentis, obseruatus fuit. Sed successu temporum, tot humanis inuentis auctus, vt praeter nomen ad nostra saecula nihil de missa et communionem peruenerit.

Ac primorum patrum additiones, qui vnum aut alterum psalmum ante benedictionem panis et vini, leui voce orasse leguntur, laudabiles fuere, quales Athanasius et Cyprianus fuisse puntantur. Deinde, qui Kyrieleison addiderunt, et ipsi placent. Nam sub Basilio magno legimus Kyrie Eleison fuisse in vsu totius populi publico, iam Epistolarum et Euangeliorum lectio etiam necessaria fuit et est nisi quod viciatum sit ea lingua legi, quae vulgo non intelligitur. Post vero vbi cantus cepit, mutati sunt psalmi in introitum, tum additus est hymnus ille angelicus, Gloria in excelsis, Et in terra pax. Item gradualia et alleluia et symbolum Nicenum: Sanctus. Agnus dei. Communio. Que omnia talia sunt, vt reprehendi non possint, presertim quae de tempore seu dominicis diebus cantantur. Qui dies soli adhuc priscam puritatem testantur, excepto Canone.

At vbi iam licentia fiebat addendi et mutandi pro vt cuius libebat, accedente tum et questus et ambitionis sacerdotalis tyrannide, tum ceperunt altaria illa et insignia Baal et omnium deorum poni in templum domini per impios reges nostros, idest Episcopos et pastores, Hic sustulit impius Ahas altare aereum, et constituit aliud e Damasco petiitum, loquor autem de Canone illo lacero et abominabili, ex multorum lacunis ceu sentina collecto, ibi cepit missa fieri sacrificium, ibi addita offertoria et collectae mercenariae, ibi Sequentiae et prosae inter Sanctus et Gloria in excelsis insertae. Tum cepit missa esse monopolium sacerdotale, totius mundi opes exhauriens, diuites, ociosos, potentis et voluptuarios et immundos illos coelibes toto orbe ceu vastitatem vltimam exundans. Hinc Missae pro defunctis, pro itineribus, pro opibus. Et quis illos titulos solos numeret, quorum missa facta est sacrificium?

Neque hodie cessat Canon iste augeri: alijs et alijs festis, alias actiones, alios Communicantes asciscens. Vt taceam memorias viuorum et mortuorum, nondum ad finem sui auctas. Nam additamenta externa, vestium, vasorum, cereorum; pallarum, deinde organorum et totius musice, imaginum, quid dicam? Nihil pene fuit in toto orbe artificiorum, quod non magna ex parte sua negocia ac suum quaestum haberet et e missa aleretur.

Transierint itaque ista et adhuc transeant, revelante Euangelio abominations tantas donec penitus aboleantur. Nos interim omnia probabimus, quod bonum est, tenebimus. Verum hoc libro dicere omittimus Missam (non) esse sacrificium seu opus bonum, quod alias abunde docuimus. Apprehendamus eam vt sacramentum seu testamentum, seu benedictionem latine, Eucharistiam graece, vel mensam domini vel caenam domini vel memoriam domini vel communionem, vel quocunque nomine pio placet, modo sacrificij aut operis titulo polluat, et ritum monstremus, quo nobis visum est illa vti.

Primo, introitus dominicales et in festis Christi, nempe, Paschatis, Pentecostes, Natiuitatis, probamus et seruamus, quamquam psalmos malemus vnde sumpti sunt vt olim, sed nunc sic vsui recepto indulgebimus. Quod siqui Apostolorum, Virginis, aliorumque Sanctorum introitus (quando e
5 psalmis aut alijs scripturis sumpti sunt) probare volent, non damnamus. Nos VVittembergae solis dominicis et festis domini sabathissare quaeremus, omnium sanctorum festa prorsus abroganda, vel siquid dignum in eis est, in dominicalibus concionibus miscenda esse putamus. Festum Purificationis et Anunciationis pro festis Christi, sicut Epiphanian et Circumcisionem, habe-
10 mus. Loco festi S. Stephani et Iohannis Euangelistae, officium Natiuitatis placet. Festa S. Crucis Anathema sunt. Alij faciant pro sua conscientia vel aliorum infirmitate, quod spiritus suggesserit.

Secundo, Kyrieleison vt hactenus celebratum est, varijs melodijs pro diuersis temporibus, amplectimur, cum sequenti hymno angelico, Gloria in
15 excelsis, tamen in arbitrio stabit Episcopi, quoties illum omitti voluerit.

Tertio, sequens Oratio illa seu collecta, modo sit pia (vt fere sunt, quae dominicis diebus habentur) perseueret ritu suo, sed ea duntaxat vnica. Post hanc lectio Epistolae. Verum nondum tempus est et hic nouandi, quando nulla impia legitur. Alioqui cum raro eae partes ex Epistolis Pauli legantur,
20 in quibus fides docetur, sed potissimum morales et exhortatoriae. Vt ordinator ille Epistolarum videatur fuisse insigniter indoctus et superstitiosus operum ponderator, officium requirebat eas potius pro maiore parte ordinare, quibus fides in Christum docetur. Idem certe in Euangelijs spectauit sepius, quisquis fuerit lectionum istarum autor. Sed interim supplebit hoc vernacula
25 Concio. Alioqui si futurum est, vt vernacula missa habeatur (quod Christus faueat) danda est opera, vt Epistolae et Euangelia suis optimis et potioribus locis legantur in missa.

Quarto, Graduale duorum versuum simul cum alleluia, vel vtrum, iuxta arbitrium Episcopi cantetur. Porro Gradualia quadragesimalia et similia,
30 quae duos versus excedunt, cantet quisquis velit in domo sua, In Ecclesia nolimus tedio extingui spiritum fidelium. Sed nec ipsam quadragesimam siue maiorem hebdomadam aut sextam feriam penosam, alijs ritibus ostentare decet, quam alias quascunque, ne simimissa et altera sacramenti parte Christum amplius ludere et ridere velle videamur. Alleluia enim vox perpetua
35 est Ecclesiae, sicut perpetua est memoria passionis et victoriae eius.

Quinto, Sequentias et prosas nullas admittimus, nisi Episcopo placuerit illa breuis in Natiuitate Christi. Grates nunc omnes. Neque ferme sunt, quae spiritum redoleant nisi illae de spiritu sancto. Sancti Spiritus. Et veni sancte spiritus. Quas vel post prandium vel sub vesperis vel sub missa (si Episcopo
40 placet) cantari licet.

Sexto sequitur Euangelij lectio. Vbi nec candelas neque thurificationem prohibemus, Sed nec exigimus, Esto hoc liberum.

Septimo, Symbolum Nicenum cantari solitum non displicet, tamen et hoc habet in manu Episcopus. Idem de vernacula Concione sentimus, vt nihil re-
45 ferat, siue hic post Symbolum, siue ante introitum missae fiat, quamquam est

alia ratio, cur aptius ante missam fiat, Quod Euangelion sit vox clamans in deserto et vocans ad fidem infideles. Missa vero sit vsus ipse Euangelij et communio mensae domini, quae duntaxat fidelium est et seorsum fieri conueniebat, sed tamen liberos nos ratio ista non ligat, Praesertim quod omnia quae
5 vsque ad Symbolum in missa fiunt, nostra sunt et libera, a deo non exacta, quare nec ad missam necessario pertinent.

Octauo, sequitur, tota illa abominatio, cui seruire coactum est, quicquid in missa praecessit, vnde et offertorium vocatur. Et ab hinc omnia fere sonant ac olent oblationem. In quorum medio, verba illa vitae et salutis sic
10 posita sunt, ceu olim arca domini in templo idolorum iuxta Dagon. Et nullus est ibi Israelita qui vel accedere vel arcam reducere possit, donec ipsa hostes suos in posteriora percussos opprobrio sempiterno nobilitauit, et sese dimittere compulit, quae est Parabola instantis temporis. Proinde omnibus illis repudiatis quae oblationem sonant, cum vniuerso Canone, retineamus quae pura
15 et sancta sunt, ac sic Missam nostram ordiamur.

i. Sub symbolo vel post Canonem, apparetur panis et vinum ad benedictionem, ritu solito, nisi quod nondum constitui mecum, miscenda ne sit aqua vino quamquam huc inclino, vt merum potius vinum paretur, absque aquae mixtura, quod significatio me male habeat, quam Isaias .i. ponit. Vinum tuum
20 (inquit) mixtum est aqua, Merum vinum enim pulchre figurat puritatem doctrinae Euangelicae. Deinde quod pro nobis non est fusus, nisi solius sanguis Christi impermixtus nostro, cuius ibi memoriam facimus. Vt non stet illorum somnium, qui dicunt ibi figurari, vnionem nostri cum Christo, Huius vnionis memoriam hic non facimus. Nec sumus vniti ante eius fusionem, alioqui simul
25 noster quoque sanguis cum sanguine Christi pro nobis fusus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducendam legem superstitiosam. Christus haec non magnopere curabit, nec res digna est contentione, Pugnavit satis hanc pugnam stultam Romana et Graeca Ecclesia, vt et alias multas. Quod vero aliqui adducunt e latere Christi fluxisse aquam cum sanguine, nihil probat.
30 Aliud enim illa aqua significat, quam volunt per hanc mixtam aquam significari. Sed nec mixta illa fuit cum sanguine, figura insuper nihil probat, exemplum autem non constat. Quare vt humanum inuentum libere tractetur.

ij. Apparato pane et vino mox procedatur ad hunc modum. Dominus vobiscum, Respon: Et cum spiritu tuo, Sursum corda, Respon: Habeamus
35 ad dominum, Gratias agamus domino deo nostro, Respon: dignum et iustum est. Vere dignum et iustum est equum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, domine sancte, pater omnipotens, aeternae deus, per Christum dominum nostrum.

ijj. Deinde. Qui pridie quam pateretur accepit panem gratias agens,
40 fregit, deditque discipulis suis, dicens. Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

Similiter et calicem, postquam caenauit, dicens, Hic calix est noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Haec quoties-cunque feceritis in mei memoriam faciatis.

Haec verba Christi velim, modica post prefationem interposita pausa, in eo tono vocis recitari, quo canitur alias oratio dominica in Canone, vt a circumstantibus possit audiri, quamquam in his omnibus libertas sit pijs mentibus, vel silenter vel palam ea verba recitare.

5 iij. Finite benedictione, Chorus cantet Sanctus, et sub cantu benedictus, eleuetur panis et Calix ritu hactenus seruato, vel propter infirmos, qui hac repentina huius insignioris in Missa ritus (mutatione) forte offenduntur, praesertim vbi per conciones vernaculas docti fuerint, quid ea potatur eleuatione.

10 v. Post haec legatur oratio dominica. Sic. Oremus preceptis salutaribus moniti etce. omissa oratione sequenti. Libera nos quesumus, cum omnibus signis quae fieri solent super hostiam et cum hostia super calicem, nec frangatur hostia nec in calicem misceatur. Sed statim post orationem dominicam dicatur. Pax domini etce. quae est publica quaedam absolutio a peccatis
15 communicantium, Vox plane Euangelica, annuncians remissionem peccatorum, vnica illa et dignissima ad mensam domini preparatio, si fide apprehendatur, non secus atque ex ope Christi prolata, Vnde vellem eam nunciari verso ad populum vultu, quemadmodum solent Episcopi, quod unicum est vestigium Episcoporum priscorum, in nostris Episcopis.

20 vi. Deinde communicet, tum sese, tum populum, interim cantetur Agnus dei. Quod si orationem illam. Domine Ihesu Christe fili dei viui, qui ex voluntate patris etce. ante sumptionem orare voluerit, non male orabit, mutato solum numero singulari in pluralem, nostris et nos, pro meis et me.
25 Item et illam. Corpus domini etc. custodiat animam meam, vel tuam in vitam aeternam. Et sanguis do: nost: custodiat, animam tuam in vitam aeternam.

vij. Si communionem cantare libet, cantetur. Sed loco complendae seu vltimae collectae, quia fere sacrificium sonant, legatur in eodem tono, oratio illa. Quod ore sumpsimus domine: poterit et illa legi. Corpus tuum domine quod sumpsimus etce. mutato numero in pluralem. Qui viuis et regnas etce.
30 Dominus vobiscum etce. Loco ite Missa, dicatur. Benedicamus domino, adiecto (vbi et quando placet) alleluia in suis melodijs. Vel ex vespertinis, Benedicamus mutuentur.

vij. Benedictio solita detur. Vel accipiatur illa Numeri, vi. quam ipse dominus digessit . d. Benedicat nos dominus et custodiat nos, Ostendat nobis
35 faciem suam et misereatur nostri. Conuertat dominus faciem suam ad nos et det nobis pacem. Vel illa psal. xcvi. Benedicat nos deus deus noster, benedicat nos deus et metuant eum omnes fines terrae. Amen. Eiusmodi credo et Christum vsum fuisse cum in caelum ascendens suos discipulos benedixit.

Et hic quoque liberum sit Episcopo, quo ordine velit vtranque speciem
40 vel sumere, vel ministrare, Poterit enim vtrunque nempe, panem et vinum continuo benedicere antequam panem sumpserit. Vel inter benedictionem panis et vini statim sese et quotquot voluerint, pane communicare, Deinde vinum benedicere ac demum omnibus bibendum dare, Quo ritu Christus vsus videtur fuisse, vt verba Euangelij sonant, vbi manducare iussit panem antequam cali-
45 cem benediceret. Deinde expresse dicit. Similiter et calicem postquam

caenauit. Vt post manducationem primum calicem esse benedictum sentias. Sed ritus hic nimis nouus, non patietur ea fieri, quae hactenus post benedictionem diximus, nisi et ipsa mutantur.

Sic de Missa sentimus, In quibus omnibus cauendum, ne legem ex liber-
5 tate faciamus, aut peccare cogamus eos qui vel aliter fecerint, vel quaedam
omiserint, modo benedictionis verba sinant integra, et fide hic agant. Chris-
tianorum enim hij esse debent ritus, idest filiorum liberae, qui sponte et ex
animo ista seruent, mutaturi quoties et quomodo voluerint. Quare non est, vt
10 necessariam aliquam formam velut legem in hac re quispiam vel petat vel sta-
tuat, qua conscientias illaqueet et vexet. Vnde et in priscis patribus et primi-
tina Ecclesia nullum exemplum legimus ritus huius plenum, nisi in Ro:
Ecclesia. Sed nec seruandum esset, si quicquam pro lege in hac re sanxissent,
quod legibus hec obstringi nec possint nec debeant. Deinde si etiam diuersi
diuerso ritu vtantur, nullus alterum vel iudicet vel contemnat, sed vnusquisque
15 sensu suo abundet, et idem sapiamus ac sentiamus, etiam si diuersa faciamus,
et vnusquisque ritus alteri placeat, ne ad diuersitatem rituum, diuersae se-
quantur opiniones et sectae, quemadmodum sub Romana Ecclesia contigit. Ex-
terni enim ritus, etsi ijs carere non possumus, sicut nec cibo et potu, non
tamen nos deo commendant, sicut nec esca nos deo commendat. Fides autem
20 et Charitas nos deo commendant. Quare hic regnet illud Pauli. Non est reg-
num dei esca et potus, sed iustitia, pax et gaudium in spiritu sancto. Ita nec
ritus vllus est regnum dei, sed fides intra vos etce.

Vestes praeteriuimus. Sed de his vt de alijs ritibus sentimus. Permit-
tamus illis vti libere, modo pompa et luxus absit. Neque enim magis places,
25 si in vestibus benedixeris. Nec minus places, si sine vestibus benedixeris.
Neque enim vestes etiam nos deo commendant. Sed nec eas consecrari velim
aut benedici, velut sacrum aliquod futurae sint prae alijs vestibus, nisi gene-
rali illa benedictione, qua per verbum et orationem omnis bona Creatura dei
sanctificari docetur, alioqui mera superstitio et impietas est, per abomina-
30 tionis pontifices introducta, sicut et alia.

DE COMMVNIONE POPVLI.

Haec de Missa et officio ministri seu Episcopi dixerimus. Nunc de ritu
communicandi populi dicemus, cuius gratia potissimum caena ista domini in-
stituta est et eo nomine vocatur. Vt enim longe absurdissimum est, ministrum
35 verbi sic desipere, vt verbum publico ministerio pronunciet, vbi nullus est
auditor, et sibi soli inter saxa et ligna aut sub diuo clamet, ita peruersissimum
est, si ministri publicam caenam domini parent et ornent, vbi nulli sint hospites
qui edant et bibant, et ipsi soli, qui alijs ministrare debent, in vacua mensa et
aula comedant et bibant. Quare si vere Christi institutum amplecti volumus,
40 nulla debet missa priuata relinqui in Ecclesia, nisi toleretur et hic vel infirmi-
tas vel necessitas ad tempus.

Hic autem seruandus est ritus, qui in baptismo seruatur. Nempe, vt
Episcopo primum significetur, qui futuri sint communicantes, petantque ipsi
caena domini communicari, vt eorum et nomina et vitam cognoscere queat.
45 Deinde petentes non admittat, nisi rationem fidei suae reddiderint, et interrogati
responderint, an intelligant, quid sit caena domini, quid praestet, quo vsu illa

velint potiri. Scz, si poterint verba benedictionis memoriter recitare, et exponere, sese ideo venire, quod conscientia peccati, aut timore mortis, aut alio malo tentationis carnis, mundi, diaboli, vexati, esuriant et sitiunt verbum et signum gratiae et salutis ab ipso domino per ministerium Episcopi, quo solentur et confortentur, quale Christus inaestimabili charitate dederit et instituerit
5 hac caena cum diceret. Accipite et comedite etce.

Arbitror autem hanc interrogationem seu explorationem sufficere, si semel in anno fiat cum eo qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens esse qui petit, vt vel semel in tota vita, vel prorsus nunquam interrogetur.
10 Nam hoc ritu illud cauere volumus, ne irruant ad caenam domini, digni et indigni, sicut hactenus vidimus fieri sub Romana Ecclesia, vbi nihil quaesitum est aliud, quam communicari, de fide, de solatio, et de toto vsu et fructu cae
15 nae prorsus ne mentio (quidem) aut cogitatio habita est. Quin et ipsa verba benedictionis, scz ipsum panem vitae, absconderunt, ingenti studio, imo summo furore id agentes, vt communicantes opus operarentur bonum sua dignitate,
20 non autem fidem alerent et roborarent Christi bonitate. Nos autem eos, qui respondere non poterunt iuxta praedicta, prorsus exclusos et alienos volumus ab istius caenae communionem, tanquam veste nuptiali carentes.

Deinde vbi Episcopus viderit eos intelligere haec omnia, etiam hoc obseruabit, an vita et moribus eam fidem et intelligentiam probent. Nam et Satan haec omnia et intelligit et loqui potest, hoc est, si viderit aliquem scortatorem, adulterum, aebrium, lusorem, vsurarium, maledicum, aut alio crimine manifesto infamem, prorsus ab hac caena excludat, nisi manifesto argumento vitam sese mutasse testatus fuerit. Nam illis, qui aliquando la-
25 buntur et redeunt, dolentque de lapsu, caena ista non solum negari non debet, quin propter eos ipsos maxime institutam esse nosse oportet, vt reficiantur et roborentur, In multis enim offendimus omnes, Et onera inuicem portamus, dum et mutuo nos oneramus. De illis enim contemptoribus loquor, qui inuerecunde et sine timore peccant et magnifica nihilo minus de Euangelio iactant.

Deinde vbi Missa celebratur, conuenit, vt communicaturi seorsum vno loco et vna turba constant. Adhoc enim repertum est altare, repertus est et Chorus. Non quod apud deum aliquid sit, hic vel hic stetisse, aut quicquam fidei hinc accedat, Sed quod oporteat eos palam videri et nosci, tam ab ijs qui communicant quam ijs qui non communicant, quo deinde eorum vita quo-
35 que melius videri et probari et prodi possit. Nam huius communio caenae, est pars confessionis, qua coram deo, angelis et hominibus sese confitentur esse Christianos. Ideo curandum, ne velut furtim auferant caenam, et deinde inter alios mixti ignorentur, an bene vel male viuant. Quamquam ne hic quidem legem figere velim, sed id solum monstrare, quod honestum ac decorum sit a Christianis liberis libere paestari.
40

De confessione vero priuata ante communionem sentio, sicut hactenus docui, esse eam scz, nec necessariam nec exigendam, vtilem tamen et non contemnendam, Quando nec ipsam caenam dominus necessario exegerit aut lege firmauerit, sed cuique liberum permiserit, dicens, Quotiescunque haec
45 feceritis etce. Sic de praeparatione ad caenam hanc sapimus, vt liberum sit ieiunio et orationibus sese componere. Sobrios certe oportet adesse et sedulos ac diligentes, vt maxime nihil ieiunes aut parum ores. Sobrietatem vero

dico, non illam superstitiosam Papistarum, sed ne crapula ructues et distento ventre pigrescas. Nam optima preparatio est (vt dixi) Anima, peccatis, morte, tentationibus agitata, esuriens et sitiens medelam et robur. Verum quicquid est harum rerum, ad Episcopum pertinet, vt populum doceat.

5 Id nunc reliquum est, an vtranque speciem (vt vocant) populo ministrare oporteat, Hic sic dico, postquam Euangelion nunc biennio toto apud nos inculcatum est, satis simul indultum et donatum est infirmitati. Deinceps agendum est, iuxta illud Pauli. Qui ignorat, ignoret, Nec enim refert, si neutram
10 speciem accipiant denuo, qui Euangelion tanto tempore non cognouerunt, ne forte perpetua infirmitatis tolerancia pertinaciam alat, et aduersus Euangelion prescribat. Quare simpliciter iuxta institutum Christi vtraque species et petatur et ministretur. Qui hoc noluerint, sinantur sibi et nihil ministretur ipsis, Nam hanc Missae formam, ijs praemonstramus, quibus Euangelion annunciatum et aliqua parte cognitum est. Qui vero nondum audierunt nec cognoscere potuerunt, ijs nondum quicquam huius rei consuli potest.

Nec quenquam id morari debet, quod Concilium iactant, in quo id rursus licere sanciat. Nos Christi ius habemus, et Concilia nec morari nec audire volumus, in his quae manifeste sunt Euangelij. Quin amplius dicimus. Siquo casu Concilium id statueret ac permetteret, tunc minime omnium nos velle
20 vtraque specie potiri, imo tunc primum in despectum tam Concilij quam statuti sui, vellemus aut vtra tantum aut neutra, et nequaquam vtraque potiri, ac plane eos anathema habere, quicumque autoritate talis Concilij vel statuti vtraque potiretur. Miraris et causam quaeris? Audi, Si tu nosti panem et vinum a Christo institutum, vtrunque Scz sumendum esse ab omnibus, vt clarissime
25 testantur Euangelia et Paulus, ita, vt et ipsi aduersarij cogantur id confiteri, nec tamen audes illi credere et fidere vt ita sumas, audes vero vt sumas, si homines in Concilio suo id statuunt, Non ne tum praefers homines Christo? Nonne extollis homines peccati super deum qui dicitur et colitur? Nonne plus
30 fidis in hominum verba quam in dei verba? Imo verbis dei prorsus diffidis, et solis hominum verbis credis? At quanta est ista abominatio et negatio dei altissimi? Quae idolatria tum par esse potest, tuae tam religiosae obedientiae erga Concilium hominum? Nonne potius milies mori? nonne potius vnam aut nullam speciem accipere deberes quam in tali obedientia tam sacrilega et apostasia fidei accipere?

35 Desinant itaque iactare Concilia sua, Sed primum hoc faciant, restituant sacrilegium diuinae gloriae, confiteantur sese Satana magistro prohibuisse vnam speciem, sese super deum eleuasse, verbum eius damnasse, et tot populos per tot saecula perdidisse, et penitentiam agant pro hac tyrannide indicibilis crudelitatis et impietatis, Et sanciant, Nos recte egisse, quod citra imo
40 contra eorum dogmata vtranque speciem docuimus et sumpsimus, nec illorum Concilium exspectauimus, gratiasque agant, quod illorum perditionem et abominationem sequi detrectauerimus. Postquam haec fecerint, libentes pronique eorum Concilium et statutum adorabimus et amplectemur, Interim dum hoc non faciunt, pergunt vero postulare, vt suam autoritatem praestolemur, nihil audi-
45 mus, sed pergimus et nos contraria illis et docere et facere, eo maxime quo scimus eis maxime displicere. Nam hac postulatione diabolica quid postulant, nisi vt eos supra deum. verba eorum supra verba dei extollamus, et nobis portenta laruarum suarum pro idolis loco dei ponamus? cum velimus nos

totum mundum deo subdi et obnoxium fieri.

Cantica velim etiam nobis esse vernacula quam plurima, quae populus sub missa cantaret, vel iuxta gradualia, item iuxta Sanctus et Agnus dei. Quis enim dubitat, eas olim fuisse voces totius populi, quae nunc solus Chorus cantat vel respondet Episcopo benedicenti? Possent vero ista cantica sic per Episcopum ordinari, vt vel simul post latinas cantiones, vel per vices dierum, nunc latine, nunc vernacula cantarentur, donec tota Missa vernacula fieret. Sed poetae nobis desunt, aut nondum cogniti sunt, qui pias et spirituales cantilenas (vt Paulus vocat) nobis concinent, quae dignae sint in Ecclesia dei frequentari, Interim placet illam cantari post communionem. Gottscy globet vnd gebenedeyet der vns selber hatt gespeyset etc. Omissa ista particula. Vnd das heylige sacramente, an vnserm letzten ende, aus des geweyeten priesters hende, quae adiecta est ab aliquo .d. Barbarae cultore, qui sacramentum tota vita parui ducens, in morte hoc opere bono sperauit vitam sine fide ingredi. Nam et numeri et musicae ratio illam superfluum probant. Praeter hanc, illa valet. Nu bitten wyr den heyligen geyst. Item. Eyn kindelin so lobelich. Nam non multas inuenias, quae aliquid grauis spiritus sapiant. Haec dico, vt siqui sunt poetae germanici, extimulentur et nobis poemata pietatis cudant.

Haec de Missa et communionem pro tempore dicta sint satis, Caetera vsus et res ipsa docebunt, modo verbum dei strenue et fideliter in Ecclesia annuncietur. Nam quod forte petent aliqui, haec omnia scripturis et exemplis patrum probari, non multum mouemur, Quod supra diximus, in his debere libertatem regnare, et neque legibus neque imperijs iccat conscientias captiuare Christianas. Vnde et nihil de his rebus scripturae definiunt, sed sinunt libertatem spiritus abundare suo sensu, pro comoditate locorum, temporum et personarum, Patrum vero exempla partim sunt incognita, Quae vero nota sunt, tam varia sunt, vt nihil certi liceat constituere, videlicet, quod et ipsi libertate sua vsi sunt. Quin vt maxime certa et simplicia essent, nobis tamen nec legem nec necessitatem imitandi imponerent.

In reliquis diebus, quas ferias vocamus, nihil video, quod non ferri possit, modo missae abrogentur. Nam Matutinae trium lectionum et horae, tum vesperae et completorium, de tempore (exclusis sanctorum ferijs) nihil sunt nisi scripturae diuinae verba, Et pulchrum imo necessarium est. pueros assuescere legendis et audiendis Psalmis et lectionibus scrip: sanctarum. Verum si quicquam hic nouaridebet, prolixitas mutari potest arbitrio Episcopi, vt tres psalmi pro matutinis, tres pro vesperis cum vno vel duobus responsorijs absoluantur. Haec vero non melius ordinantur, quam ipso arbitrio Episcopi, cuius est deligere optima in responsorijs et antiphonis, et de dominica in dominicam per hebdomadam ordinare, vt nec nimia eiusdem assiduitate fastidium, nec nimia varietate et multitudine cantus et lectionum, tedium spiritus generetur. Sed per partes distributum totum psalterium in vsu maneat, et vniuersa scriptura in lectiones partita, perseueret in auribus Ecclesiae.

Hic vero, quod alias egi, agendum est, vt iste cantus non sit tantum lingua loqui, vel potius tantum sicut sonus fistulae aut cythrae, sine sensu. Ideo instituendae sunt lectiones quottidianae, altera mane in nouo vel veteri testa-

mento, altera vesperi, in altero testamento cum explanatione vernacula. Hunc ritum esse antiquum, probat et res et vocabulum Homilia in matutinis, et capitulum in vesperis et alijs horis. Scz. quod Christiani quoties conuenissent, aliquid legebant et vernacula interpretabantur, more, quem Paulus . I. Cor. 5 xiiij. describit. Post successu temporis peioris, cum deficerent prophetae et interpretes, relicta est ista vox sola post lectiones et capitula, Deo gratias, Tum loco interpretationis, multiplicatae sunt lectiones, psalmi et hymni, et alia in hanc tediosam prolixitatem, Quamquam hymni, et Te deum laudamus, ae que id testantur, quod, Deo gratias, Scz. quod post interpretationes et 10 Homilias, deum laudarent et gratias egerint pro reuelata veritate sermonum dei. Quales et ego vellem fieri nostras vernaculas cantilenas.

Tantum habui, optime Nicolae, quod de nostrae Wittembergae Ecclesiae ritibus et ceremonijs partim iam institutis ac prope diem (Christo volente) consummandis, ad te per scriberem, cuius exemplar, si tibi et alijs placuerit 15 imitari, licet. Sin minus, vnctioni libenter locum dabimus, parati a vobis et quibus uis alijs comodiora accipere. Nec vos aut quosuis alios absterreat, quod in nostra Wittembergae adhuc perseuerat Topheth illa sacrelega, quae principum Saxoniae impia et perdita pecunia est, Ecclesiam dico omnium sanctorum. Nam tantum est miserente deo apud nos antidoti per copiosum verbum 20 dei, vt pestis illa in angulo suo languens, non nisi sibi ipsi pestilens sit. Denique vix tres aut quatuor porci et ventres sunt in ipsa illa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt, caeteris omnibus simul et vniuerso populo insignis nausea et abominatio est, Neque licet ui aut imperio in eos grassari, vt nosti decere Christianos non nisi virtute gladij spiritus pugnare, Sic enim et infreno 25 populum quottidie, alioqui iam dudum domus illa omnium sanctorum, imo domus omnium diabolorum, alio nomine ferretur in orbe. Sed nec potestatem spiritus, quam dedit nobis deus, in illam exercui, ferens longanimiter opprobrium istud, si forte det illis deus penitentiam, Contentus interim, quod nostra domus, quae verius est omnium sanctorum domus, hic regnat et stat 30 velut turris libani contra domum omnium diabolorum. Sic Satanam torquemus verbo, quamuis ille risum simulet, Sed dabit Christus, vt spes sua fallat eum et cunctis videntibus praecipitur. Ora pro me vir Sancte dei, Gratia tecum et omnibus vestris. AMEN.

* * * * *

35 Luther's Forword to the first volume of his Opera Latina, published in Wittenburg in 1545. Werke, vol. IV, pp. 421-428.

MARTINUS LUTHER
pio lectori s.

40 Multum diuque restiti illis, qui meos libros seu verius confusiones meorum lucubrationum voluerunt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis novitatibus obrui et lectorem a legendis illis impediri, tum quod nunc Dei gratia exstent methodici libri quam plurimi, inter quos Loci communes Philippi excellunt, quibus theologus et episcopus pulchre et abunde formari potest, ut sit potens in sermone doctrinae pietatis, praesertim cum ipsa sacra biblia 45 nunc in omni prope lingua haberi possint, mei autem libri, ut ferebat, imo

cogebat rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint quoddam rude et indigestum cahos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere.

His rationibus adductus cupiebam omnes libros meos perpetua oblivione sepultos, ut melioribus esset locus. Verum improbitas et importuna pertinacia aliorum, qui mihi quotidie aures implebant, futurum esse, si ego vivus non
5 permitterem edi, tamen post mortem meam essent certissime edituri ii, qui prorsus nescirent causas et tempora rerum gestarum, et ita ex una confusione fierent plurimae, vicit (inquam) eorum improbitas, ut edi permitterem. Accessit simul voluntas et imperium illustrissimi Principis nostri Johannis Friderici Electoris etc. Qui iussit, imo coegit typographos non solum excu-
10 dere, sed et maturare editionem.

Sed ante omnia oro pium lectorem, et oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione. Et sciat, me fuisse aliquando monachum, et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae, ut
15 paratissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari et consentire, qui papae vel una syllaba obedientiam detractarent. Tantus eram Saulus, ut sunt adhuc multi. Non eram ita glacies et frigus ipsum in defendendo papatu, sicut fuit Eccius et sui similes, qui mihi verius propter suum ventrem papam defendere videbantur, quam quod serio rem agerent, imo ridere mihi
20 papam adhuc hodie videntur, velut Epicuræi. Ego serio rem agebam, ut qui diem extremum horribiliter timui, et tamen salvus fieri ex intimis medullis cupiebam.

Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa et magna humilime concesserim papae, quae posterioribus et istis temporibus pro summa
25 blasphemia et abominatione habeo et execror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel (ut ipsi calumniantur) antilogiam temporis et imperitiae meae. Solus primo eram, et certe ad tantas res tractandas ineptissimus et indoctissimus, casu enim, non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.

Igitur cum anno MDXVII. indulgentiae in his regionibus venderentur
30 (promulgarentur volui dicere) turpissimo quaestu, ego tum eram concionator, iuvenis (ut dicitur) Doctor Theologiae, et coepi dissuadere populis, et eos dehortari, ne in dulgentiariorum clamoribus aurem praeberent, habere eos meliora quae facerent, et in iis certus mihi videbar, me habiturum patronum papam, cuius fiducia tunc fortiter nitebar, qui in suis decretis clarissime dam-
35 nat quaestorum (its vocat indulgentiarios praedicatores) immodestiam.

Mox scripsi epistolas duas, alteram ad Moguntinensem archiepiscopum Albertum, qui dimidium pecuniae ex indulgentiis habebat, alterum dimidium papa, id quod tunc nesciebam, alteram ad ordinarium (ut vocant) loci, episcopum Brandenburgensem Hieronymum, rogans, ut compescerent quaestorum
40 impudentiam et blasphemiam, sed pauperculus frater contemnebatur. Ego contemptus edidi Disputationis scedulam simul et germanicam concionem de indulgentiis, paulo post etiam Resolutiones, in quibus pro honore papae hoc agebam, ut indulgentiae non damnarentur quidem, sed bona opera caritatis illis praeferrentur.

Hoc erat coelum deturbasse et mundum incendio consumpsisse. Accusor apud papam, mittitur citatio mei ad Urbem, et consurgit totus papatus in me unicum. Haec aguntur anno MDXVIII. sub comitiis Maximiliani Augustae celebratis, in quibus agebat legatum a latere pontificis Cardinalis Caietanus, quem
5 Dux illustrissimus Saxoniae Fridericus, Elector Princeps, causa mea adiit, et impetravit, ne Romam cogere ire, sed ipse me vocato rem cognosceret et componeret. Mox soluta sunt comitia.

Interim, quia fessi erant Germani omnes ferendis expilationibus, nundinationibus et infinitis imposturis Romanensium nebulonum, suspensis animis
10 exspectabant eventum tantae rei, quam nullus antea neque episcopus neque theologus ausus esset attingere. Et fovebat me utcunque aura ista popularis, quod invisae iam essent omnibus artes et Romanationes illae, quibus totum orbem impleverant et fatigaverant.

Veni igitur pedester et pauper Augustam, stipatus sumptibus et literis
15 Principis Friderici ad senatum et quosdam bonos viros commendatitiis. Tri-duo eram ibi, antequam accederem Cardinalem, prohibebant enim viri illi optimi et dissuadebant summis viribus, ne citra salvum conductum Caesaris Cardinalem adirem, licet ille me singulis diebus per quendam oratorem vocaret. Erat hic mihi satis molestus, ut tantum revocarem, tum essent omnia
20 salva. Sed longa est iniuria, longae ambages.

Tandem tertio die venit expostulans, cur non accederem Cardinalem, qui benignissime me expectaret? Respondi, mihi obtemperandum esse consiliis optimorum virorum, quibus essem a Principe Friderico commendatus, esse autem eorum consilium, ne ullo modo absque tutela Caesaris seu fide publica
25 Cardinalem accederem, qua impetrata (agebant autem illi apud senatum caesareum, ut impetrarent) mox essem accessurus. Hic commotus ille: Quid? (inquit) putas Principem Fridericum propter te arma sumpturum? Dixi: Hoc nollem prorsus. Et ubi manebis? Respondi: Sub coelo. Tum ille: Si tu papam et cardinales in potestate tua haberes, quid esses facturus? Omnem,
30 inquam, reverentiam et honorem exhibiturus. Tum ille, gestu Italico movens digitum, dixit: Hem. Et sic abiit, neque reversus est.

Eo die denunciavit senatus caesareus Cardinali, mihi esse datam Caesaris tutelam seu fidem publicam, admonens, ne quid asperius in me designaret. Hic fertur respondisse: Bene est, ego tamen faciam, quod mei officii fuerit.
35 Haec fuere principia istius turbae, cetera ex actis infra cognosci poterunt.

Eodem anno iam M. Philippus Melanthon a Principe Friderico vocatus huc fuerat ad docendas literas graecas, haud dubie, ut haberem socium laboris in theologia. Nam quid operatus sit Dominus per hoc organum non in literis tantum, sed in theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur satan
40 et omnes squamae eius.

Anno sequente XIX. decessit in Februario Maximilianus, et factus est iure imperii vicarius Dux Fridericus. Tum desiit paululum saevire tempestas, et sensim obrepsit contemptus excommunicationis seu fulminis papistici. Nam cum Eccius et Caracciolus ex Urbe attulissent Bullam damnatricem Lutheri
45 eamque insinuassent ille hic, iste illic Duci Friderico, qui Coloniae tum erat

Carolus recens electum cum aliis principibus suscepturus, indignissime tulit et magna fortitudine et constantia obiurgabat pontificium illum nebulonem, quod se absente perturbassent ipse et Eccius ditiones fratris Johannis et suam, et exagitabat eos magnifice, ita ut cum rubore et dedecore ab eo discederent. Intellexit Princeps ingenio incredibili praeditus artes Romanae curiae, et eos 5 digne tractare novit, erat enim emunctissimae naris, et plus et longius olfaciebat, quam Romanenses aut sperare aut timere poterant.

Itaque deinceps ab eo tentando abstinebant. Nam et Rosam, quam vocant auream, eodem anno ei a Leone X. missam, nullo honore dignatus est, imo pro 10 ridiculo habuit, ita desperare coacti sunt Romanistae a studiis fallendi tanti Principis. Et procedebat feliciter evangelium sub umbra istius Principis et late propagabatur, movebat eius autoritas plurimos, qui, cum esset sapientissimus et oculatissimus Princeps, non poterat nisi apud invidos suspicionem incurrere, quod haeresim aut haereticos vellet alere et tueri, quae res papatui magnum 15 intulit detrimentum.

Eodem anno habita est Disputatio Lipsiae, ad quam Eccius non duos, Carlstadium et me, provocavit, sed ego nullis literis potui impetrare fidem a Duce Georgio, ita ut non disputator, sed spectator futurus, sub fide Carlstadio data, Lipsiam ingrederer. Quis autem me impedierit, ignoro, nam adhuc erat Dux 20 Georgius mihi non iniquus, quod sciebam certo.

Hic Eccius me accessit in hospitio dicens, sese audisse me detrectare disputationem. Respondi: Quomodo disputare potero, cum nequeam impetrare fidem a Duce Georgio? Ille: Si tecum inquit, non licet disputare, neque cum Carlstadio volo, propter te enim huc veni. Quid si ego tibi fidem impetravero? 25 Nunquid disputabis mecum? Impetra (inquam) et fiat. Abiit ille, et mox data est mihi quoque fides publica et facta copia disputandi.

Faciebat hoc Eccius, quia certam sibi gloriam propositam cernebat, propter propositionem meam, in qua negabam papam esse iure divino caput ecclesiae. Hic patuit ei campus magnus, et occasio summa plausibiliter adulandi, 30 et gratiam pontificis emerendi, tum odio et invidia me obruendi. Quod strenue fecit per totam disputationem, nec tamen sua firmavit, nec mea confutavit, ita ut ipse dux Georgius inter prandendum ad Eccium et me diceret: Sive sit iure humano sive divino papa, ipse est papa. Quod verbum, nisi argumentis fuisset motus, nequaquam dixisset, sed Eccium solum probasset.

Atque hic vide vel in meo casu, quam difficile sit eluctari et emergere ex erroribus, totius orbis exemplo firmatis, et longa consuetudine velut in naturam mutatis. Quam verum est proverbium: Difficile est consueta relinquere, et: Consuetudo est altera natura, et quam vere dicit Augustinus: Consuetudo, si ei non resistitur, fit necessitas. Ego, qui iam tunc sacras literas diligentissime 40 privatim et publice legeram et docueram per septem annos, ita ut memoriter pacne omnia tenerem, deinde primitias cognitionis et fidei Christi hauseram, scilicet, non operibus, sed fide Christi nos iustos et salvos fieri, denique id, de quo loquor, papam non esse iure divino caput ecclesiae, iam defendebam publice, tamen id quod consequens erat non vidi, scilicet papam necessario esse ex 45 diabolo. Quod enim ex Deo non est, necesse est ex diabolo esse.

Sic absorptus eram (ut dixi) tum exemplo et titulo sanctae ecclesiae, tum consuetudine propria, ut papae concederem ius humanum, quod tamen si non sit fultum autoritate divina, mendacium et diabolicum est. Nam parentibus et magistratibus paremus, non quia ipsi praecipunt, sed quia sic est voluntas Dei,
5 I. Pet. 3. Hinc est, quod minus iniquo animo ferre possum eos, qui pertinacius in papatu haerent, praesertim qui sacra vel etiam prophana non legerunt, cum ego tot annis sacra legens diligentissime tamen ita haesi tenaciter.

Anno MDXIX. misit Rosam Leo X. (ut dixi) per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut papae reconciliarer. Is habuit 70 Brevia apostolica, ut,
10 si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti papa per Rosam quaerebat, per singula oppida affigeret unum, et ita tutus me perduceret Romanam. Prodebat autem coram me consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam te esse senem aliquem theologum, qui post fornacem sedens ita secum disputasset, nunc video te esse adhuc integrum aetate et validum. Si haberem 25 milia
15 armatorum, non confiderem te posse a me Romanam perducere, exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent, ecce, ubi unum pro papa stare inveni, tres pro te contra papam stabant. Illud vero ridiculum erat: exploraverat etiam mulierculas et virgines in hospitibus, quidnam de sede Romana sentirent? Illae ut ignarae huius vocabuli et sellam domesticam cogitantes
20 respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romae habeatis sellas, ligneasne an lapideas?

Rogabat itaque, ut consulerem ea, quae pacis essent, se omnem daturum operam, ut papa idem faceret. Ego prolixè quoque promisi omnia, quae ullo modo salva conscientia veritatis possem, promptissime essem factururus, me
25 quoque esse pacis cupidum et studiosum, qui per vim tractus in has turbas necessitate adactus fecissem omnia, quae feci, culpam non esse meam.

Vocaverat autem ad se Johannem Tetzl, praedicatorii ordinis, autorem primarium huius tragoediae, et verbis minisque pontificiis ita fregit hominem hactenus terribilem cunctis, et imperterritum clamatorem, ut inde contabesceret et tandem aegritudine animi conficeretur. Quem ego, ubi hoc rescivi,
30 ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac iussi animo bono esse, nec mei memoriam metueret, sed conscientia et indignatione papae forte occubuit.

Futilis habebatur Carolus, et futile eius consilium, sed, meo iudicio, si Moguntinus a principio, cum a me admoneretur, denique si papa, antequam me
35 non auditum damnaret et bullis suis saeviret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet sero, et statim compescuissent Tetzelianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum. Tota culpa est Moguntini, cuius sapientia et astutia eum fefellit, qua voluit meam doctrinam compescere, et suam pecuniam, per indulgentias quaesitam, esse salvam. Nunc frustra quaeruntur
40 consilia, frustra coguntur studia. Dominus evigilavit et stat ad iudicandum populos; etiamsi nos occidere possent, non tamen haberent quod volunt, imo minus haberent, quam nobis vivis et salvis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omnino obesae naris sunt, satis olfaciunt.

Interim eo anno iam redieram ad Psalterium denuo interpretandum, fretus eo, quod exercitator essem, postquam S. Pauli Epistolas ad Romanos, ad

Galatas, et eam, quae est ad Ebraeos, tractassem in scholis. Miro certe ardore captus fueram cognoscendi Pauli in epistola ad Rom., sed obstiterat hactenus non frigidus circum praecordia sanguis, sed unicum vocabulum, quod est Cap. I: Iustitia Dei, quod usu et consuetudine omnium doctorum doctus eram
5 philosophice intelligere de iustitia (ut vocant) formali seu activa, qua Deus est iustus, et peccatores iniustosque punit.

Ego autem, qui me, utcunque irreprehensibilis monachus vivebam, sentirem coram Deo esse peccatorem inquietissimae conscientiae, nec mea satisfactione placatum confidere possem, non amabam, imo odiebam iustum et
10 punientem peccatores Deum, tacitaque si non blasphemia, certe ingenti murmuratione indignabar Deo, dicens: quasi vero non satis sit, miseros peccatores et aeternaliter perditos peccato originali omni genere calamitatis oppressos esse per legem decalogi, nisi Deus per evangelium dolorem dolori adderet, et etiam per evangelium nobis iustitiam et iram suam intentaret. Furebam ita saeva et
15 perturbata conscientia, pulsabam tamen importunus eo loco Paulum, ardentissime sitiens scire, quid S. Paulus vellet.

Donec miserente Deo meditabundus dies et noctes connexionem verborum attenderem, nempe: Iustitia Dei revelatur in illo, sicut scriptum est: Iustus ex fide vivit, ibi iustitiam Dei coepi intelligere eam, qua iustus dono Dei vivit,
20 nempe ex fide, et esse hanc sententiam, revelari per evangelium iustitiam Dei, scilicet passivam, qua nos Deus misericors iustificat per fidem, sicut scriptum est: Iustus ex fide vivit. Hic me prorsus renatum esse sensi, et apertis portis in ipsam paradisum intrasse. Ibi continuo alia mihi facies totius scripturae apparuit. Discurrebam deinde per scripturas, ut habebat memoria, et colligebam etiam in aliis vocabulis analogiam, ut opus Dei, id est, quod operatur in
25 nobis Deus, virtus Dei, qua nos potentes facit, sapientia Dei, qua nos sapientes facit, fortitudo Dei, salus Dei, gloria Dei.

Iam quanto odio vocabulum 'iustitia Dei' oderam ante, tanto amore dulcissimum mihi vocabulum extollebam, ita mihi iste locus Pauli fuit vere porta
30 paradisi. Postea legebam Augustinum de spiritu et litera, ubi praeter spem offendi, quod et ipse iustitiam Dei similiter interpretatur: qua nos Deus induit, dum nos iustificat. Et quamquam imperfecte hoc adhuc sit dictum, ac de imputatione non clare omnia explicet, placuit tamen iustitiam Dei doceri, qua nos iustificemur.

35 Istis cogitationibus armatior factus coepi Psalterium secundo interpretari, et processisset opus in magnum commentarium, nisi denuo per comitia Caroli V. Imperatoris Vuormatiam sequenti anno vocatus opus coeptum deserere fuissem coactus.

Haec ideo narro, optime lector, ut, si lecturus es opuscula mea, memor
40 sis, me unum fuisse (ut supra dixi) ex illis, qui (ut Augustinus de se scribit) scribendo et docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint, neque operati, neque tentati, neque experti, sed ad unum intuitum scripturae totum spiritum eius exhauriunt.

Hactenus ad annum MDXX et XXI processit res indulgentiaria, post sequuntur res sacramentariae et anabaptisticae, de quibus in aliis tomis, si
45

vixero, praefandum est.

Vale, lector, in Domino et ora pro incremento verbi adversus satanam, quia potens et malus est, nunc etiam furentissimus et saevissimus, sciens, quoniam breve tempus habet et regnum sui papae periclitatur. Confirmet
5 autem Deus hoc in nobis, quod operatus est, et perficiat opus suum, quod incepit in nobis, ad gloriam suam, Amen. V. Martii, Anno MDXLV.

These two letters are found in Melanchtons Werke in Auswahl, edited by R. Stupperich, Guetersloh, 1951—, Vol. I, p. 3 ff., p. 296 ff.

5 Epistola de Lipsica disputatione. 1519.

Johanni Oecolampadio theologo
Philippus Melanchthon Salutem in Christo

10 Neque referre multum puto, neque tu magnopere desideras, studium ac voluntatem animi erga te mei pluribus verbis declarari. Nam eiusmodi auspiciis animos nostros optimus ille sinceræ caritatis spiritus conciliavit, ut amicitiam nostram neque labefactari ullo casu in tam varia omnium rerum humanarum vicissitudine posse sperem...

15 Iam vero, quod attinet, nolui, quandoquidem reliqua fere in studiis literarum communia habemus, frustrari te iis, quæ expectatione maiore quam pro re Lipsiæ de ambiguis quibusdam Theologorum, ut videtur, locis acta sunt...

20 Hæc vero disceptandi provincia primum non ob aliud suscepta est, nisi ut palam fieret, inter veterem et Christi theologiam ac noviciam et Aristotelicam quantum intersit. Verum quid profectum sit, aut quorsum inclinarint res, mihi sane non est in proclivi iudicare. Quo diligentius omnia prosequar, quæ ad causam attinent, ut nonnihil certi ex iis tu queas oculatior assequi. Varia procul dubio fama ad vos perferet, qua propter fide historica et quam simplicissime subnotatis capitibus disceptationis agam, ut intelligas, quid de quoque controversum sit.

25 Atque ut inde ὡςπερ ἀπὸ γραμμῆς ordiar: Superiore anno sententias, quas Martinus de indulgentiis proposuit disputandas, Eckius obelis notavit, amarulentius est scriptum, quam ut hinc aliquid proferam. Ex illis revellit aliquot Carolostadius in conclusionibus suis, quæ extant. Carolostadio respondit Eckius per apologiam, in qua iam pleraque mitius quam ante in obelis.
30 Apologiam edito libello Carolostadius confutavit. Longa est iniuria, longæ ambages. Placuit ad summum, ut cetera præteream, disputare; dies dictus est. Lipsiam confluunt Iohannes Eckius Ingolstadiensis, Andreas Carolostadius et Martinus Luther Witembergenses. Rerum summa in conclusiones coacta erat pauculas: quo certius id proponeretur, de quo disputandum esset. Satis
35 opinor constare tibi, quid de disceptatione convenerit, Videlicet ut ageretur causa excipientibus notariis atque id scriptum evulgaretur, essetque iudicium penes optimum quenque...

40 Itaque die 27. Mensis Iunii congregiuntur Iohannes Eckius et Carolostadius. De libero arbitrio propositum est. An sit aliquod nobis ἀγαθόν bonum opus. Hoc est, ut ipsi dicunt, an de congruo emercamur gratiam, cum facimus, quod in nobis est; utor enim ipsorum verbis. Hoc cum agi deberet, vide, quorsum contentione rapti sint et in quos scopulos impegerint. Agi debebat, quid per sese citra gratiam posset voluntas nostra. ipsi quaestionem alio rapiunt,

et quatuor credo continuos dies in eo disceptant: An voluntas tantum recipiat bonum opus, ipsumque bonum opus sola efficiat gratia. . . .

Integram credo hebdomadam perdidimus in his, quorum capita συντόμως notavi. His autoribus primum didici, quid sit, quod veteres σοφιστεύεσθαι
5 dixerunt. Mirum haec omnia quo tumultu, quam tragice tractata sint, quominus mirum est, parum profectum esse, sua enim silentia amat spiritus, per quae nobis illabitur, seque insinuat cupidissime non gloriae, sed cognoscendae veritatis. Non prostat in porticibus sponsa illa dilecta Christo, sed in domum matris suae sponsum introducit. Immo neque ulli nos sapientiae celestis radii
10 pellucet, nisi iam ante cruce perpurgatos mortuosque pristinis mundi elementis, ut cum Paulo dicam.

Sub haec et Martinus in harenam descendit, nam hactenus non satis certum erat congredi, cum causae invidiosae iudices designare commode non posset pro iure appellationis suae, tamen cum de eo convenisset, agi ceptum
15 est de Romani pontificis auctoritate controversumque est, an iure divino probari posset oecumenici pontificis auctoritas. Esse oecumenicum pontificem ingenue fatetur Martinus. In hoc disputat: an iure divino probari eius auctoritas possit. In hunc locum quandoquidem paulo asperior est, dies quinque, ni fallor, impensi sunt. Ibi multa acerbe Eckius, multa inciviliter, breviter
20 omnia eiusmodi, ut invidiam apud vulgus Martino conflaret. Argumentum primum erat Eckii ecclesiam ἀκέφαλον esse non posse, cum civile corpus sit. Esse igitur Papam iure divino caput Ecclesiae. Tum Martinus, Christum se fateri caput esse, cum ecclesia sit regnum spiritus, non desiderare aliud caput, ut ad Colossen. 1. . . .

25 Ex Evangelio usus est loco Matthaei: 'Tu es Petrus, et super hanc petram' etc. Martinus confessionem illam fidei esse voluit, Petrumque ibi personam universae ecclesiae gerere seque Christum petram vocare idque ex ipsius sententiae ordine pluribus coniecturis coarguit. Item loco: 'pascere oves meas', quod proprie ac privatim Petro dictum est, respondit Martinus, post parum Apostolis
30 omnibus auctoritatem traditam: 'Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis' etc. haec enim verba sunt demandati officii, Christum docuisse, quid sit pascere et qualem voluerit esse, qui pasturus sit. Ad haec Eckius Concilii Constantiensis auctoritatem allegavit, ubi inter damnatos articulos Hussitarum est et hic: de necessitate salutis est, credere Romanum Pontificem oecumenicum
35 esse, Ibi iactatum varie Concilium errare non posse. Prudenter ad haec Martinus, non omnes articulos pro haereticis damnatos et reliqua, quae hic omnia molestum est referre. Neque huius est loci tractare, quae sit Conciliorum auctoritas. Hoc palam est, non posse Concilium novos articulos fidei condere. Male audiit ob haec Martinus, quod videbatur obstrepere conciliis, cum ille
40 nihil maiore religione praestaret, quam ut sua conciliis esset auctoritas, ibi haereses, Bohemicae factiones et id genus crimina alia obiciebantur. Largitus est Eckius, aequalem omnium Apostolorum auctoritatem fuisse, nec consectaneum esse, ut sint aequales Episcopi. Interesse enim inter ἀποστολήν et administrationem. cum non sit ἀποστολή aliud nisi legatio εἰς ὑπακοήν
45 πίστεως, Paulo ad Ro. auctore. Neque inter ἀποστολήν et administrationem quid intersit video. Intolerabile visum Eckio, alicubi recedere a pontificiis decretis aut a qualibuscumque verbis alicuius e sanctis patribus. Verum sententiam suam de pontifice loco ad Galatas Martinus manuit non

ἀπροσχόρδω , quantum video. 'Ab iis, qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest; Deus enim personam hominis non accipit, mihi autem qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt.' Interim Eckius opinatur a Christo Apostolos lectos esse, sed a Petro ordinatos episcopos, ex his
5 existimes reliqua. Ad constitutionem, quae recensetur in decretis, ne Romanus Pontifex universalis Episcopus nominetur, respondit, non quidem universalem episcopum nominandum esse, sed universalis ecclesiae Episcopum.

Post haec de purgatorio agi ceptum, cuius quaestionis arbitror scopum ne attigisse quidem. Nam cum disserendum esset, quam in purgatorium potestatem habeat Papa, cepit Eckius aliam cantilenam, esse purgatorium probari ut
10 possit. Id quod receptius est, quam ut necesse sit toties in scholas vocare. Locus est in Maccabaeis vulgatus, quo sententiam suam muniebat Eckius. Martino visum est in contentione iuxta Hieronymi sententiam non valere Maccabaeos. Contra ille, tantum deberi Maccabeorum libro quantum Evangelio, digna scilicet
15 theologo vox, et omnino id mordicus tenuit. Additur Pauli locus ad Corinthios. 'Salvus erit, sic tamen quasi per ignem,' de quo scis, ut varient interpretes. Iam et hoc Matthaei: 'Esto consentiens adversario tuo' etc. de carcere et quo dicitur, donec solverit extremum quadrantem, hunc detorsit, quod vides, unde petatur et in quam sit dictum sententiam. Nefas est putare, eo loci carcerem
20 de purgatorio intelligi. Vellem Christi plebeculam feliciter erudiri quam id genus interpretationibus. plerumque longius a fontibus ducunt scripturam, quam ut nativam vim retineat. Iam et hoc in psalmo pro purgatorio produxit: 'Transivimus per ignem et aquam' et nescio quae pari fide alia. De indulgentiis minore contentione disputatum est. immo ipsi Eckio iocum et ludum ciebant. Ad summum de penitentia actum est, eius quaestionis scopum Eckii enthymemata nescio
25 an attigerint, penas aliquas satisfactionis probabant, quas admittebat Martinus. Ceterum pro singulis peccatis ad singulas penas deposci penitentem a iustitia divina, quas in potestate hominis sit remittere, mihi per illas ratiocinationes non apparebat. Atque haec quidem sunt potissima, quae in contentionem istam
30 universam inciderunt, pleraque alia magis ridicula sunt, quam ut iis te onerare possim, alioqui feliciter occupatum.

Duo reliqui dies dati sunt Carolostadio: altero de obice, ut vocant, gratiae actum est. Quem largitur Eckius non tolli natura sed gratia, altero, an in
35 quolibet bono opere peccemus. De quo plerisque cum ab Eckio tum a Carolostadio egregiis scripturae locis pugnatum est. mihi sane visus est Paulus 7. cap. ad Romanos non nihil adjuvare sententiam Carolostadii.

Plura scripturus alio ad necessarias operas avocabar, quamquam haec fortasse immodicus, sed placuit nugari tecum amicissimo, eaque de re quam
40 expectatione maiore quam fructu agi ipse vidi. De huiusmodi disceptationibus plausibilibus quid alii sentiant, nescio, mihi quidem ἀπρόσχριστοι videntur. Ingenia, eruditionem variam et multiplicem doctrinam hoc theatro ostentantur isti, ex quibus ad pietatem ut plurima fieret accessio, optarim. Ceterum apud nos magnae admirationi plerisque fuit Eckius ob varias et insignes ingenii
45 dotes. Carolostadium e scriptis, credo, novisti. Bonus est vir et rara doctrina planeque nonnihil extra volgi aleam eruditus. In Martino longo iam usu mihi familiariter cognito vivax ingenium, eruditionem et facundiam admiror. Sincerum et pure Christianum animum non possum non deamare.

Amicis communibus ex nobis salutem dicito. Scis, quod dici graecis solet: πολέμου κενὰ πολλά . Quare non est, ut de huius disceptationis eventu neque famae neque iis, qui in ea famae studuerunt, omnia credas.

Vale, Wittembergae, 21. Julii.

5

Epistola Phil. Melanchthonis
ad Joa. Oecolampadium de coena domini. 1529.

Doctissimo viro D. Johanni Oecolampadio
suo amico Philippus Melanchthon

Aliquot accepi tuas Epistolas, quae, quoniam extant in eis multae non
10 obscurae significationes veteris tuae erga me benevolentiae et voluntatis in
amicitia constantissimae, valde gratae mihi fuerunt. Nam meus animus idem
est erga te, qui fuit semper. Ego autem admiratione doctrinae et virtutum
tuarum incensus, semper et amavi te plurimum et singulari quadam pietate
colui. Atque utinam ea essent tempora, ut trui hac nostra amicitia possemus.
15 Sed incidit horribilis dissensio de Coena Domini, quae veterem consuetudinem
officiorum, quibus inter nos certare solebamus, impedivit, benevolentiam vero
erga te meam non labefecit. Itaque, si quid in me desideras officii, tempora
magis quam fidem meam accusare te velim.

Quod ad causam, quam agis, attinet, valde doleo, ea de re dissensionem
20 exortam esse, quae a Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis
autem, me hactenus magis extitisse spectatorem huius fabulae quam actorem.
Et multas graves habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini.
Interea nulla alia cura ullius rei animum meum magis exercuit quam huius
negotii. Et non modo cogitavi ipse, quid in utramque partem dici possit, sed
25 inquisivi etiam veterum ea de re sententias. Ego enim nolim alicuius novi
dogmatis in ecclesia vel author vel defensor existere. Cum omnia, quae in
utraque parte firmissima videntur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in
sententiam tuam. Nullam enim firmam rationem invenio, quae conscientiae
discedenti a proprietate verborum satisfaciat. Nihil autem ad hunc diem de
30 hoc negotio scripsi, quia videbam futurum, quicquid scriberem, ut me allegari
a Luthero tanquam domesticum testem iniqui iudices dicerent. Nihil authorita-
tis in nostra sententia futurum erat, quia in alterius gratiam scripta videretur.
Sed spero te melius de meis moribus sentire.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κείνος ὁμῶς αἶδαο πύλησιν,
35 ὅς χ' ἔτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπη.

Qualiscunque enim sum, certe nunquam amavi Epicureos istos, cuius-
modi multi sunt hoc tempore, qui religionem irrident et quibus voluptati est,
de maximis rebus homines fallere. Semper, ut scis, studiosus fui doctrinae
Christianae; fuitque ob eam causam mihi curae, ut eam diligenter cognosce-
40 rem: nec sine parvo negotio, dum quaero, quid sequi tuto possim, extricavi
me ex scholasticis disputationibus, partim etiam ex amicorum meorum dis-
putationibus, cuius rei nonnulla exstant testimonia. Quod si gratiam aucu-
parer, non ignoro, quam multos, magnos et eruditos viros habeat vestra
factio; horum amicitiam non contemnerem. Itaque si mihi vestra sententia

de Coena Domini placeret, simpliciter profiterer.

Vos absentis Christi corpus tanquam in tragoedia repraesentari contenditis; ego de Christo video exstare promissiones: 'Ero vobiscum usque ad consummationem seculi,' et similes, ubi nihil est opus divellere ab humanitate
5 divinitatem; proinde sentio, hoc sacramentum verae praesentiae testimonium esse. Quod cum ita sit, sentio, in illa Coena praesentis corporis *κοινωνίαν* esse. Cum proprietas verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et haec sententia de praesentia corporis convenit cum aliis scripturis, quae de vera praesentia Christi apud nos
10 loquuntur. Nam illa est indigna Christianis opinio, quod Christus ita quandam coeli partem occuparit, ut in ea, tanquam inclusus carceri, sedeat. Tu colligis absurda multa, quae sequantur hanc sententiam, Colligis etiam quasdam veterum sententias, quae pro te videntur facere. Sed absurda minus offendent eum, qui meminerit, de rebus coelestibus ex verbo Dei, non ex Geometria faciendum
15 esse iudicium, quique tentatus didicerit, nullam esse rationem, quae conscientiam satis docere possit, cum a Verbo Dei discesserit.

In iis locis, qui citantur ex veteribus, agnosco quandam esse dissimilitudinem; sed tamen ex his, si quis prudenter eliget gravissimorum autorum dicta, inveniet pleraque, quae ostendunt hanc, quam nos sequimur, veteris ecclesiae, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam, tametsi tu
20 quidem homo disertus quosdam locos nimis callide interpretaris et ad tuam causam detorques. Veteres, cum de resurrectione disputant, allegant Coenam, nec inepte, meo quidem iudicio; significavit enim Christus Apostolis, se resurrecturum esse, quia sui corporis *κοινωνίαν* instituit. Necesse enim erat,
25 ut viveret corpus, quod nobis impartendum erat. Quod si veteres sensissent, absens corpus repraesentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus et consumptum repraesentari potuit, sicut in fabulis Hector repraesentatur.

Sed non institui nunc disputationem; tantum haec scripsi, ut meam erga
30 te benevolentiam perpetuam cognosceres, neque tamen volui, quid sentiam, dissimulare. Teque rogo, ut consideres, quantam rem quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti veritatem, atque haec multo magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Quare satius
35 esset, hac de re aliquot bonos viros in colloquium una venire. Video, quae semina harum disputationum sparsa sint in veterum libris. Sunt et in quibusdam nuper natis ante hunc tumultum. Video causam vestram praesidiis ingeniorum niti et vos habere studia theatri, non tantum manifesta, sed occulta etiam, quae haud scio, an efficacius vobis suffragentur quam manifesta. Satis
40 nota est mihi tua modestia, quare non arbitrabar opus esse, ut te admonerem, ut cogitares, homines ingeniosos et prudentes interdum labi posse, et in negotiis spiritualibus imprimis periculosa est ingenii fiducia. Scis, scriptum esse: 'Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo.' Et multo plures sunt, quam putentur, qui tantum ea amplectuntur in religione, quae ingenii eruere ac comprehendere potuerunt. Postremo te rogo, ut hanc meam Epistolam optimo atque amicissimo scriptam animo boni consulas. Vale.
45

Spirae. Anno M. D. XXIX.

* * * * *

The following is a major portion of the Confessio Fidei of 1530, known as the Augsburg Confession; Die Bekenntnisschriften der evangelisch-lutherischen Kirche, third edition, Goettingen, 1956, pp. 50-100, passim.

ARTICULI FIDEI PRAECIPUI.

I. De Deo.

Ecclesiae magno consensu apud nos docent, decretum Nicaenae synodi de unitate essentiae divinae et de tribus personis verum et sine ulla dubitatione credendum esse; videlicet, quod sit una essentia divina, quae et appellatur et est Deus aeternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator et conservator omnium rerum, visibilium et invisibilium; et tamen tres sint personae, eiusdem essentiae et potentiae, et coaeternae, pater filius et spiritus sanctus. Et nomine personae utuntur ea significatione, qua
10
15
20
25
30
35
40
45
50
55
60
65
70
75
80
85
90
95
100
105
110
115
120
125
130
135
140
145
150
155
160
165
170
175
180
185
190
195
200
205
210
215
220
225
230
235
240
245
250
255
260
265
270
275
280
285
290
295
300
305
310
315
320
325
330
335
340
345
350
355
360
365
370
375
380
385
390
395
400
405
410
415
420
425
430
435
440
445
450
455
460
465
470
475
480
485
490
495
500
505
510
515
520
525
530
535
540
545
550
555
560
565
570
575
580
585
590
595
600
605
610
615
620
625
630
635
640
645
650
655
660
665
670
675
680
685
690
695
700
705
710
715
720
725
730
735
740
745
750
755
760
765
770
775
780
785
790
795
800
805
810
815
820
825
830
835
840
845
850
855
860
865
870
875
880
885
890
895
900
905
910
915
920
925
930
935
940
945
950
955
960
965
970
975
980
985
990
995

Damnant omnes haereses, contra hunc articulum exortas, ut Manichaeos, qui duo principia ponebant, bonum et malum, item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas et omnes horum similes. Damnant et Samosatenos, veteres et neotericos, qui cum tantum unam personam esse contendant, de verbo et de spiritu sancto astute et impie rhetoricantur, quod non sint personae distinctae, sed quod Verbum significet verbum vocale et spiritus motum in rebus creatum.

II. De peccato originis.

Item docent, quod post lapsum Adae omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum et spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos et alios, qui vitium originis negant esse peccatum et, ut extenuent gloriam meriti et beneficiorum Christi, disputant hominem propriis viribus rationis coram Deo iustificari posse.

III. De filio Dei.

Item docent, quod verbum, hoc est, filius Dei, assumpsit humanam naturam in utero beatae Mariae virginis, ut sint duae naturae, divina et humana, in unitate personae inseparabiliter coniunctae, unus Christus, vere Deus et vere homo, natus ex virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus et sepultus, ut reconciliaret nobis patrem et hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos et vere resurrexit tertia die, deinde ascendit ad coelos, ut sedeat ad dexteram patris, et perpetuo regnet ac dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum spiritu sancto,

qui regat, consoletur et vivificet eos ac defendat adversus diabolum et vim peccati. Idem Christus palam rediturus est, ut iudicet vivos et mortuos etc., iuxta Symbolum Apostolorum.

IV. De iustificatione.

5 Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum, Qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit, Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso, Rom. 3 et 4.

10 V. De ministerio ecclesiastico.

Ut hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi evangelii et porrigendi sacramenta. Nam per verbum et sacramenta tamquam per instrumenta donatur spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi et quando visum est Deo, in his, qui audiunt evangelium, scilicet quod Deus non propter nostra merita, 15 sed propter Christum iustificet hos, qui credunt se propter Christum in gratiam recipi. Gala. 3: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Damnant Anabaptistas et alios, qui sentiunt spiritum sanctum contingere hominibus sine verbo externo per ipsorum praeparationes et opera.

VI. De nova oboedientia.

20 Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere et quod oporteat bona opera mandata a Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum et iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur et vox Christi: Cum feceritis haec omnia, dicite, servi inutiles sumus. Idem docent et veteres scriptores ec- 25 clesiastici. Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

VII. De ecclesia.

30 Item docent, quod una sancta ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem ecclesia congregatio sanctorum, in qua evangelium pure docetur et recte administrantur sacramenta. Et ad veram unitatem ecclesiae satis est consentire de doctrina evangelii et de administratione sacramentorum. Nec necesse est ubique similes esse traditiones humanas seu ritus aut cerimonias ab hominibus institutas; sicut inquit Paulus: Una fides, unum baptisma, unus Deus et pater 35 omnium etc.

VIII. Quid sit ecclesia?

Quamquam ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere creditium, tamen, cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint, licet uti sacramentis, quae per malos administrantur, iuxta vocem Christi: Sedent 40 scribae et pharisaei in cathedra Moysis etc. Et sacramenta et verbum propter

ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas et similes, qui negabant licere uti ministerio malorum in ecclesia et sentiebant ministerium malorum inutile et inefficax esse.

5

IX. De baptismo.

De baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quodque per baptismum offeratur gratia Dei, et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati Deo recipiuntur in gratiam Dei.

10 Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum et affirmant sine baptismo pueros salvos fieri.

X. De coena domini.

De coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini; et improbant secus docentes.

XI. De confessione.

15 De confessione docent, quod absolutio privata in ecclesiis retinenda sit, quamquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis iuxta psalmum: Delicta quis intelligit?

XII. De poenitentia.

20 De poenitentia docent, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum quocumque tempore, cum convertuntur, et quod ecclesia talibus ad poenitentiam redeuntibus debeat absolutionem impartiri. Constat autem poenitentia proprie his duabus partibus: altera est contritio seu terrores incussi conscientiae agnito peccato, altera est fides, quae concipitur ex evangelio seu absolutione et credit propter Christum remitti peccata et consolatur conscientiam et ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quae sunt fructus poenitentiae.

Damnant Anabaptistas, qui negant semel iustificatos posse amittere spiritum sanctum; item, qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint.

30 Damnantur et Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos, post baptismum redeuntes ad poenitentiam.

Reiiciuntur et isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed iubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XIII. De usu sacramentorum.

35 De usu sacramentorum docent, quod sacramenta instituta sint, non modo ut sint notae professionis inter homines, sed magis ut sint signa et testimonia

voluntatis Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est sacramentis ita, ut fides accedat, quae credat promissionibus, quae per sacramenta exhibentur et ostenduntur.

XIV. De ordine ecclesiastico.

5 De ordine ecclesiastico docent, quod nemo debeat in ecclesia publice docere aut sacramenta administrare nisi rite vocatus.

XV. De ritibus ecclesiasticis.

De ritibus ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt et prosunt ad tranquillitatem et bonum ordinem in ecclesia, sicut certae feriae, festa et similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiae onerentur, tamquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanae, institutae ad placandum Deum, ad promerendam gratiam et ad satisfaciendum pro peccatis, adversentur evangelio et doctrinae fidei. Quare vota et traditiones de cibis et diebus etc., institutae ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis, inutiles sint et contra evangelium.

XVI. De rebus civilibus.

De rebus civilibus docent, quod legitimae ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod christianis liceat gerere magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex imperatoriis et aliis praesentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iurare postulantibus magistratibus, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt haec civilia officia christianis.

25 Damnant etiam illos, qui evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei et fide, sed in deserendis civilibus officiis, quia evangelium tradit iustitiam aeternam cordis. Interim non dissipat politiam aut oeconomiam, sed maxime postulat conservare tamquam ordinationes Dei et in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent christiani oboedire magistratibus suis et legibus, nisi cum iubent peccare; tunc enim magis debent oboedire Deo quam hominibus. Actuum 5.

XVII. De reditu Christi ad iudicium.

Item docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum et mortuos omnes resuscitabit; piis et electis dabit vitam aeternam et perpetua gaudia; impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem poenarum futurum esse.

Damnant et alios, qui nunc spargunt iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sint, ubique oppressis impiis.

XVIII. De libero arbitrio.

5 De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam et deligendas res rationi subiectas. Sed non habet vim sine spiritu sancto efficiendae iustitiae Dei seu iustitiae spiri-
tualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; sed haec
fit in cordibus, cum per verbum spiritus sanctus concipitur. Haec totidem
10 verbis dicit Augustinus lib. III. Hypognoticon: "Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in his, quae ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe per-
agere, sed tantum in operibus vitae praesentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quae de bono naturae oriuntur, id est velle laborare in agro, velle
15 manducare et bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad praesentem pertinet vitam. Quae omnia non sine gubernaculo divino subsistunt. immo ex ipso et per ipsum sunt et esse coeperunt. Malis vero dico, ut est velle idolum colere, velle
20 homicidium etc."

XIX. De causa peccati.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, ut diaboli et impiorum, quae, non adiuvente Deo, avertit se a Deo, sicut Christus ait, Ioh. 8: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.

XX. De fide et bonis operibus.

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quae exstant de decem praeceptis, et alia simili argumento testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitae generibus et officiis, quae genera
30 vitae, quae opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant concionatores; tantum puerilia et non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum et similia. Haec adversarii nostri admoniti iam dediscunt nec perinde praedicant haec inutilia opera ut olim. Incipiunt
35 etiam fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent nos non tantum operibus iustificari, sed coniungunt fidem et opera et dicunt nos fide et operibus iustificari. Quae doctrina tolerabilior est priore et plus afferre consolationis potest quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in ecclesia praecipuam esse, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei
40 iustitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesia, nostri de fide sic admonuerunt ecclesias:

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum aut mereri

remissionem peccatorum et gratiam, sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator et propitiatorium, per quem reconcilietur pater. Itaque qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum et gratiam et quae-
5 rit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit:
Ego sum via, veritas et vita.

Haec doctrina de fide ubique in Paulo tractatur, Ephes. 2: Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex operibus etc.

Et ne quis cavilletur a nobis novam Pauli interpretationem excogitari,
10 tota haec causa habet testimonia patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam et iustitiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius De vocatione gentium et alibi. Sic enim inquit De vocatione gentium: Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si iustificatio, quae fit per gratiam,
15 meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quamquam autem haec doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experientur piae et pavidae conscientiae plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiae non possunt reddi tranquillae per ulla opera, sed tantum fide, cum
20 certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum, quemadmodum Paulus docet Rom. 5: Iustificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota haec doctrina ad illud certamen perterrefactae conscientiae referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male de ea iudicant homines imperiti et profani, qui christianam iustitiam nihil esse somniant nisi civilem seu philosophicam iustitiam.
25

Olim vexabantur conscientiae doctrina operum, non audiebant ex evangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam. Alii alia excogitarunt opera ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis. Ideo
30 magnopere fuit opus hanc doctrinam de fide in Christum tradere et renovare, ne decisset consolatio pavidis conscientis, sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam et remissionem peccatorum.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen fidei non significat tantum historiae notitiam, qualis est et in impiis et in diabolo, sed significat fidem,
35 quae credit non solum historiam, sed etiam effectum historiae, videlicet hunc articulum, remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus gratiam, iustitiam et remissionem peccatorum.

Iam qui scit se per Christum habere propitium patrem, is vere novit Deum, scit se ei curae esse, invocatur eum, denique non est sine Deo sicut gentes.
40 Nam diaboli et impii non possunt hunc articulum credere, remissionem peccatorum. Ideo Deum tamquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de nomine fidei hoc modo admonet lectorem et docet in scripturis nomen fidei accipi non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quae consolatur et erigit perterrefactas mentes.

Praeterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum et gratia. Et quia per fidem accipitur spiritus sanctus, iam corda renovantur et induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonae voluntatis et iustae actionis genitrix est. Nam humanae vires sine spiritu sancto plenae sunt impiis affectibus et sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. Adhaec sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera; quemadmodum est videre in philosophis, qui et ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide et sine spiritu sancto et tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, nihil a Deo exspectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates et humana consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum. Quare et Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Iohan. 15. Et ecclesia canit:

Sine tuo numine
nihil est in homine,
nihil est innoxium.

XXI. De cultu sanctorum.

De cultu sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum et bona opera iuxta vocationem, ut Caesar imitari potest exemplum David in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria. Nam uterque rex est. Sed scriptura non docet invocare sanctos seu petere auxilium a sanctis, quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, pontificem et intercessorem. Hic invocandus est et promisit se exauditurum esse preces nostras et hunc cultum maxime probat, videlicet ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1. Ioh. 2: Si quis peccat habemus advocatum apud Deum etc.

Haec fere summa est doctrinae apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet a scripturis vel ab ecclesia catholica vel ab ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nobis nota est. Quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro haereticis haberi postulant. Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in ecclesias irreperunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo tamen decebat haec lenitas episcopos, ut propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent, neque similes unquam omnium ecclesiarum ritus fuerunt. Quamquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes caerimoniae, omnia vetera instituta in ecclesiis nostris aboleantur. Verum publica querela fuit abusus quosdam in vulgaribus ritibus haerere. Hi quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTICULI IN QUIBUS RECENSENTUR ABUSUS MUTATI.

Cum ecclesiae apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab ecclesia catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt et contra voluntatem canonum vitio temporum recepti, rogamus, ut Caesarea Maiestas
5 clementer audiat, et quid sit mutatum et quae fuerint causae, quominus co-
actus sit populus illos abusus contra conscientiam observare. Nec habeat
fidem Caesarea Maiestas istis, qui ut inflamment odia hominum adversus nos-
tros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bono-
rum virorum initio praebuerunt occasionem huic dissidio et eadem arte nunc
10 conantur augere discordias. Nam Caesarea Maiestas haud dubie comperiet
tolerabiliorem esse formam et doctrinae et caerimoniarum apud nos, quam
qualem homines iniqui et malevoli describunt. Neque veritas ex fulgi rumori-
bus aut maledictis inimicorum colligi potest. Facile autem hoc iudicari potest,
nihil magis prodesse ad dignitatem caerimoniarum conservandam et alendam
15 reverentiam ac pietatem in populo, quam si caerimoniae rite fiant in ecclesiis.

XXII. De utraque specie.

Laicis datur utraque specie sacramenti in coena Domini, quia hic mos
habet mandatum Domini Matth. 26: Bibite ex hoc omnes. Ubi manifeste prae-
cipit Christus de poculo, ut omnes bibant.

20 Et ne quis possit cavillari, quod hoc ad sacerdotes tantum pertineat,
Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet totam ecclesiam utra-
que specie usam esse. Et diu mansit hic mos in ecclesia, nec constat, quando
aut quo auctore primum mutatus sit, tametsi cardinalis Cusanus recitet, quando
sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur sanguinem populo datum esse.
25 Idem testatur Hieronymus, qui ait: Sacerdotes eucharistiae ministrant et san-
guinem Christi populis dividunt. Imo Gelasius Papa mandat, ne dividatur sac-
ramentum, Dist. 2. de consecratione, c. Comperimus. Tantum consuetudo
non ita vetus aliud habet. Constat autem, quod consuetudo contra mandata Dei
introducenda non sit probanda, ut testantur canones. Dist. 8. c. Veritate, cum
30 sequentibus. Haec vero consuetudo non solum contra scripturam, sed etiam
contra veteres canones et exemplum ecclesiae recepta est. Quare si qui malue-
runt utraque specie sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum
offensione conscientiae. Et quia divisio sacramenti non convenit cum institu-
tione Christi, solet apud nos omitti processio, quae hactenus fieri solita est.

35 XXIII. De coniugio sacerdotum.

Publica querela fuit de malis exemplis sacerdotum, qui non continebant.
Quam ob causam et Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur ademp-
tum sit sacerdotibus coniugium, sed multo maiores esse causas, cur reddi
debeat. Sic enim scribit Platina. Cum igitur sacerdotes apud nos publica illa
40 scandala vitare vellent, duxerunt uxores ac docuerunt quod liceat ipsis contra-
here matrimonium. Primum, quia Paulus dicit: Unusquisque habeat uxorem
suam propter fornicationem. Item: Melius est nubere, quam uri. Secundo,
Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc; ubi docet non omnes homines
ad caelibatum idoneos esse, quia Deus creavit hominem ad procreationem,
45 Genes. I. Nec est humanae potestatis, sine singulari dono et opere Dei,

creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad caelibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei et ordinationem Dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent sacerdotes sibi licuisse uxores ducere.

5 Constat etiam in ecclesia veteri sacerdotes fuisse maritos. Nam et Paulus ait, episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos sacerdotes vi coacti sunt ad caelibatum, qui quidem adeo adversati sunt, ut archiepiscopus Moguntinus, publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, paene ab iratis sacerdotibus per tumultum
10 oppressus sit. Et res gesta est tam incivilter, ut non solum imposterum coniugia prohiberentur, sed etiam praesentia, contra omnia iura divina et humana, contra ipsos etiam canones, factos non solum a Pontificibus, sed a laudatissimis synodis, distraherentur.

15 Et cum senescente mundo paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura vitia serpent in Germaniam.

 Porro Deus instituit coniugium, ut esset remedium humanae infirmitatis. Ipsi canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt. Quod optandum est, ut fiat et in hoc negotio. Ac videntur ecclesiis aliquando defuturi pastores, si diutius
20 prohibeatur coniugium.

 Cum autem exstet mandatum Dei, cum mos ecclesiae notus sit, cum impurus caelibatus plurima pariat scandala, adulteria et alia scelera digna animadversione boni magistratus: Tamen mirum est nulla in re maiorem exerceri saevitiam quam adversus coniugium sacerdotum. Deus praecepit honore afficere
25 coniugium; leges in omnibus rebus publicis bene constitutis, etiam apud ethnicos, maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus poenis excruciantur, et quidem sacerdotes, contra canonum voluntatem, nullam aliam ob causam nisi propter coniugium Paulus vocat doctrinam daemoniorum. quae prohibet coniugium I. Timoth. 4. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus suppliciis prohibitio
30 coniugii defenditur.

 Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quae non servant promissam castitatem. Verba eius sunt haec, libro primo epistolarum ep. XI.: Si autem nolunt perseverare aut non possunt,
35 melius est, ut nubant, quam in ignem deliciis suis cadant; certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant.

 Et aequitate quadam utuntur canones erga hos, qui ante iustam aetatem voverunt, quomodo fere hactenus fieri consuevit.

XXIV. De missa.

40 Falso accusantur ecclesiae nostrae, quod missam aboleant. Retinetur enim missa apud nos et summa reverentia celebratur. Servantur et usitatae caerimoniae fere omnes, praeterquam quod latinis cantionibus admiscentur alicubi germanicae, quae additae sunt ad docendum populum. Nam ad hoc

praecipue opus est caerimoniis, ut doceant imperitos. Et Paulus praecepit in ecclesia uti lingua intellecta populo. Assuefit populus, ut una utantur sacramento, si qui sunt idonei; id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum caerimoniarum. Nulli enim admittuntur nisi antea explorati et auditi. Admonentur etiam homines de dignitate et usu sacramenti, quantam consolationem afferat pavidis conscientiiis, ut discant Deo credere et omnia bona a Deo exspectare et petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adversarios missae maiore religione fieri quam apud nos.

10 Constat autem hanc quoque publicam et longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quod missae turpiter profanarentur, collatae ad quaestum. Neque enim obscurum est, quam late pateat hic abusus in omnibus templis, a qualibus celebrentur missae tantum propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indigne tractant eucharistiam, cum ait: Qui ederit panem hunc aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Itaque cum apud nos admonerentur sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos privatae missae, cum fere nullae privatae missae nisi quaestus causa fierent.

20 Neque ignoraverunt hos abusus episcopi; qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in ecclesiam serpere. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus ecclesiae, cum hic tumultus non aliunde sumpserit occasionem quam ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari amplius non possent. Magnae dissensiones de missa, de sacramento exortae sunt, fortassis ideo ut daret poenas orbis tam longae profanationis missarum, quam in ecclesia tot saeculis toleraverunt isti, qui emendare et poterant et debebant. Nam in decalogo scriptum est: Qui nomine Dei abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quaestum collata fuisse ut missa.

30 Accessit opinio, quae auxit privatas missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis et instituerit missam, in qua fieret oblatio pro cotidianis delictis, mortalibus et venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod missa sit opus delens peccata vivorum et mortuorum ex opere operato. Hic coepit disputari, utrum una missa dicta pro pluribus tantumdem valeret quantum singulae pro singulis. Haec disputatio peperit istam infinitam multitudinem missarum.

40 De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant a scripturis sanctis et laedant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio et satisfactio non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebraeos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Item: Una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.

Item scriptura docet nos coram Deo iustificari per fidem in Christum. Iam si missa delet peccata vivorum et mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere missae, non ex fide, quod scriptura non patitur.

45 Sed Christus iubet facere in sui memoriam. Quare missa instituta est,

ut fides in his, qui utuntur sacramento, recordetur, quae beneficia accipiat per Christum et erigat et consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudaei et impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cum autem missa sit talis communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis missa singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatae missae; de communi missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait: Cotidie sacerdotem stare ad altare et alios accersere ad communionem, alios arcere. Et ex canonibus veteribus apparet unum aliquem celebrasse missam, a quo reliqui presbyteri et diaconi sumpserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba canonis Nicaeni: Accipiant diaconi secundum ordinem post presbyteros ab episcopo vel a presbytero sacram communionem. Et Paulus de communionem iubet, ut alii alios exspectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur missa apud nos habet exemplum ecclesiae, ex scriptura et patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime cum publicae caeremoniae magna ex parte similes usitatis servantur; tantum numerus missarum est dissimilis, quem propter maximos et manifestos abusus certe moderari prodesset. Nam olim ne quidem in frequentissimis ecclesiis ubique fiebat cotidie missa, ut testatur Historia Tripartita lib. 9.: Rursus autem in Alexandria quarta et sexta feria scripturae leguntur easque doctores interpretantur, et omnia fiunt praeter solemnem oblationis morem.

XXV. De confessione.

Confessio in ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini nisi antea exploratis et absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante haec tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei et mandato Dei pronuntietur. Ornatur potestas clavium et commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiam, et quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tamquam voci suae de coelo sonanti credamus, et quod illa fides vere consequatur et accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiones; fidei et meriti Christi ac iustitiae fidei nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minime sunt culpandae ecclesiae nostrae. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de poenitentia diligentissime a nostris tractata et patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandae conscientiae cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, ut testatur psalmus: Delicta quis intelligit? et Ieremias: Pravum est cor hominis et inscrutabile. Quodsi nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiae possent, quia plurima peccata neque vident neque meminisse possunt. Testantur et veteres scriptores enumerationem illam non esse necessariam.

Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait: Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios accuses te, sed oboedire te volo prophetae dicenti: Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuntia non lingua, sed conscientiae tuae
5 memoria. Et Glossa de poenitentia Dist. 5. in cap. Consideret, fatetur, humani iuris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium tum propter alias utilitates conscientiarum, apud nos retinetur.

* * * * *

10 These selections are from the LOCI PRAECIPUI THEOLOGICI of 1543 (Leipzig edition of 1554). This is an expansion of the Loci Communes, earliest edition 1521.

PHILIPPVS MELANCHTHON PIO LECTORI S. D.

Prodest firma & perspicua testimonia de singulis articulis doctrinae Christianae, ordine distributa, uelut in tabella habere proposita, ut cum disputant animi secum, aut anguntur, sententiae certae in conspectu sint, quae
15 trepidantes erudiant, erigant, confirment, consolentur. Haec enim sunt exercitia fidei piis & necessaria, & non ignota, de quibus Propheta inquit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Ad hunc usum domesticum initio mihi hos locos institui, & cum uiderem his turbulentis temporibus interdum aliqua explicatione
20 opus esse, addidi interdum aliquas descriptiones aut partitiones. Haec cum postea circumferrentur in manibus multorum, recognoscenda & augenda fuerunt. Non ambitione, non φιλονεικεία, non aemulatione, non ut sererem rixas, haec & institui & collegi, sed primum ut me ipsum erudirem, deinde ut aliorum, aui haec legebant, honesta & pia studia adiuuarem. Sed de uoluntate
25 mea nihil dicam amplius, quam quod Deo probatam esse spero, ac meae conscientiae testimonium antefero criminationibus Eccii, Cochlei, Alfonsi, & multorum qui illis applaudunt. Cum autem reipsa cognouerim, explicationem dogmatum Ecclesiae propter multas caussas opus esse difficilimum, & quantum
30 necessarium est, tamen plenum esse ingentium periculorum, attente audiui interpretes eruditos και θεοδιδάκτους, & mediocri cura & sollicitudine inquisiui Ecclesiae doctrinam, & conatus sum res ueras quanta potui perspicuitate recitare. Non gigno nouas opiniones, nec aliud maius scelus esse
in Ecclesia Dei sentio, quam ludere fingendis nouis opinionibus, & discedere a Prophetica & Apostolica scriptura, & consensu uero Ecclesiae Dei. Sequor
35 autem & amplector doctrinam Ecclesiae Witebergensis & coniunctarum, quae sine ulla dubitatione consensus est Ecclesiae catholicae Christi, id est, omnium eruditorum in Ecclesia Christi. Vult autem Paulus esse iudicia doctrinae in Ecclesia, ut ueritas seruetur incorrupta, & non temere labefactetur concordia: Et agnosco ipse meorum scriptorum maciem & squalorem. Quamquam igitur
40 proprie & plane loqui studeo, tamen fieri potest, praesertim in tanta mole rerum, & in tanta breuitate, ut interdum aliquid dictum sit obscurius, aut parum commode. Ideo non defugio iudicia Ecclesiarum nostrarum: Nam has censeo uere esse Dei Ecclesiam, & uera animi pietate eas ueneror, nec me ab eis seiungam, meaque dicta, scripta & facta, earum iudicio permitto. Saepe etiam
45 optaui alios, qui antecellunt eruditione & iudicio, communicato consilio & collatis sententiis de rebus ipsis & de formis loquendi, graui autoritate tale aliquod

opus condere, quod ordine praecipuas materias doctrinae Ecclesiasticae complecteretur. Dicerem hanc rem curae esse debere piis & sapientibus Principibus, praesertim in tanta temporum confusione. Sed uidemus Ecclesiam non regi humanis consiliis. Oro igitur Deum aeternum Patrem Domini nostri
5 Iesu Christi, ut propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem uoluit esse pro nobis uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἰκέτην, Ecclesiam sibi colligat, regat, & seruet, & docentium & discentium mentes gubernet, studia adiuuet, & ad ueritatem & concordiae amorem multos flectat. Id cum Christus
10 in agone suo precatus sit, nostra uota & nostros gemitus ad huius nostri Pontificis petitionem adiungamus, qui dixit: Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas: Ne sinas extingui lucem ueritatis, id est, Euangelii tui, Et addit: sint unum, sicut & nos unum sumus, Primum nobiscum coniuncti sint, deinde inter sese sint concordēs, & consulant paci uerae Ecclesiae iustis officiiis. Hortor & Scholasticum gregem, ut cogitent, qua in statione a Deo
15 collocati sint, & sciant se Ecclesiae Dei seminaria esse. Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dextram aeterni Patris, ac dona dans hominibus, uidelicet Pastores & doctores, sumit Euangelii ministros, quos praeparari uult in Scholis. Hos esse custodes librorum Propheticorum & Apostolicorum & uerorum dogmatum Ecclesiae uoluit. Quare diligentiam & fidem in re omnium maxima,
20 Deo, Ecclesiae, & posteritati praestemus, ueritatem inquiramus, amemus, tueamur, & ad posteros incorruptam transmittamus. Witeb. Anno M. D. XLIII.

DE GRATIA ET DE IUSTIFICATIONE

Hic locus continet summam Euangelii. Monstrat enim proprium Christi
25 beneficium, proponit firmam consolationem piis mentibus, docet qui sint ueri cultus Dei, quae sit uera inuocatio, praecipus discernit Ecclesiam Dei a caeteris Gentibus, Iudaeis, Mahometistis & Pelagianis, hoc est, omnibus qui imaginantur hominem iustum esse lege seu disciplina, & iubent dubitare de remissione peccatorum. Ideo autem magna est opinionum in hoc loco dissensio:
30 Quia plerique sequuntur humana iudicia, neglecta simplici doctrina Prophetarum, Christi & Apostolorum. Imo hanc transformant in Philosophiam, extenuant peccatum in natura, cogitant Lege Dei tantum requiri disciplinam. Deinde imaginantur, nihil interesse inter Philosophicam & Christianam iusticiam.

Omnibus aetatibus hae prophana & humanae imaginationes obscurauerunt
35 ueram Ecclesiae doctrinam. Sic Pharisei sentiebant se Lege iustos esse. Deinde quia necesse erat quaerere de Messia, cur is uenturus esset, fingebant ideo uenturum esse, ut mundo imperium constitueret, non intelligebant oportere uictimam fieri pro genere humano ad placandam iram Dei aduersus peccatum, & aliam iusticiam donaturum esse. Sic & ante Phariseos senserunt Hypocritae
40 superiorum aetatum in Ecclesia Patrum.

Sed Prophetae hos errores taxabant, clamitabant, non tolli peccatum iusticia Legis, manere peccatum in hac mortali natura, sed iustos esse credentes, & exaudiri & donari uita aeterna a Deo propter promissum Saluatorem: Sicut Dauid claris uerbis inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis
45 uiuens. Et alio loco de Filio: Beati omnes qui confidunt in eo. Item Iesaias: Noticia eius iustificabit multos. Ita cum Christus & Apostoli renouassent doctrinam, statim postea sparsae sunt opiniones humanae de disciplina: Quia

magnum quiddam est, regere externos mores. Deinde exorti sunt & fanatici spiritus, qui prorsus transformarunt Euangelium in Legem seu Pharisaeismum, finxerunt homines iustos esse Lege, & ne Christus nihil uideretur noui attulisse, dixerunt eum aliquas nouas leges tradidisse, de Coelibatu, de Non uindicando.

5 Haec deliria statim post Apostolos nata sunt: Ideo non est mirum, postea quoque caliginem secutam esse.

Etsi autem aliqui pii retinuerunt ueram sententiam, tamen scriptorum magna dissimilitudo est, alius alio commodius loquitur, sed de scriptoribus alibi dicendum erit. Nunc haec tantum praefari uolui, ut cogitet pius lector,
10 necessariam esse explicationem huius loci, de Iustificatione, & grata mente amplectendum esse beneficium Dei, qui Euangelii lucem rursus accendit. Neque enim negari potest in doctrina Monachorum esse errores, quos etsi nunc aliquantulum corrigunt, tamen adhuc neruos ipsos retinent. De remissione peccatorum uociferantur non recte doceri, quod fide gratis propter Christum accipiatur remissio peccatorum, nec admittunt Fide significari fiduciam misericordiae Dei,
15 Imo iubent semper dubitare, an simus in gratia. Deinde addunt, quod mereamur remissionem propter contritionem & dilectionem. Atqui contritio seu dolor, seu pauor sine fiducia misericordiae quo uehementior est, eo magis impellit ad desperationem, ut Paulus inquit: Lex iram efficit. Deinde dicunt amplius,
20 renatos Legi Dei satisfacere, iustos esse propter impletionem Legis, & hanc ipsam esse meritum & precium uitae aeternae: Nec reliquam in renatis inobedientiam esse quiddam pugnans cum Lege Dei. Addunt item, renatos tamen debere dubitare, an sint in gratia, & in hac dubitatione manendum esse. Haec dubitatio palam est Ethnica, Nec leues sunt hi errores, sed Euangelio tenebras
25 inducunt, obscurant beneficium Christi, tollunt ueram consolationem conscientiarum, & ueram inuocationem. Quare necesse est Ecclesiam de his tantis rebus admonere. Exponam igitur clare & plane summam huius negotii.

Primum de disciplina clamitamus & nos: Omnes homines disciplina coercedos esse, id est, iusticia illa, quam etiam non renati praestare debent & possunt. Sicut ait Paulus: Lex est posita iniustis: Et Deus praesentibus & aeternis poenis uiolationem disciplinae punit. Ac ingens praeconium est disciplinae, quod Paulus inquit, esse paedagogiam in Christum: Quia, scilicet, Euangelium non est efficax in his, qui non disinunt ruere contra conscientiam.

Secundo, Postquam haec de disciplina praemonuimus, nunc ad caussam
35 accedimus. Similis est Ecclesiae concio a principio post receptum Adam usque ad finem. Statim in Paradiso institutum est ministerium praedicandae poenitentiae, & data promissio de uenturo Liberatore, ex qua intelligebant primi parentes se recipi. Sed haec promissio paulatim clarius patefacta est, usque ad Christi praedicationem, qui & ipse hoc ministerio fungebatur, & Apostolis mandauit
40 idem ministerium, inquit: Ite, praedicantes poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Quare semper in Ecclesia sonare oportet praedicationem poenitentiae, quae fit uoce Legis, per quam Deus arguit peccata nostra cum externa tum interiora, qualia sunt, non timere, non diligere Deum, non confidere Deo, fit & uoce Euangelii accusantis mundum, quod non audiat filium
45 Dei, non moueatur eius passione & resurrectione & c. Ideo inquit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt. Et Roman. 1. Reuelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem & iniusticiam hominum & c.

Vt igitur expauit Adam seu David audiens uocem Dei accusantis, ita mens non dura, non obstinata, expauescit, & agnoscit Deum uere irasci peccato, & punire peccatum. Hi terrores saepe descripti sunt in Psalmis, Psal. 36. Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie
5 peccatorum meorum. Et quidem ut Lex hanc iram generi humano denunciat: Ita omnes calamitates humanae, sunt quasi uox Legis, nos de ira Dei admonens, & omnes ad poenitentiam uocans.

Tertio, cum mens hominis hac uoce arguente peccata, perterrefacta est, audiat promissionem in Euangelio propositam, & statuat remitti sibi peccata
10 gratis propter Christum per misericordiam, non propter contritionem aut dilectionem, aut alia opera. Hoc modo cum fide se mens erigit, donatur remissio peccatorum & reconciliatio. Si enim iudicandum esset, tum demum nos habituros esse remissionem peccatorum, cum contritio aut dilectio sufficiens esset, adigeretur animus ad desperationem: quare, ut habeat certam
15 & firmam consolationem, pendet beneficium Dei, non ex conditione dignitatis nostrae, sed ex sola misericordia propter Christum promissa. Cunque Deus remittit peccata, simul donat nobis Spiritum sanctum, qui nouas uirtutes in piis incoat, sicut Gal. 3. dicitur: Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec nihil habent perplexitatis, & a piis mentibus in Ecclesia, quae
20 norunt exercitia spiritualia, pauores, consolationes, & inuocationem, clare intelliguntur.

* * * * *

The following selection is from the Enarrationes Euangeliorum dominicalium, from the Wittenberg edition of his works, Pars Tertia, 1563.

25 IN DIE PENTECOSTES, EVANGELIUM IOHANNIS 14.

Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat, Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris.

30 Haec loctus sum uobis, apud uos manens, Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quaecunq; dixi uobis.

Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum, neque formidet. Audistis quod ego
35 dixi uobis, vado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia dixi, vado ad patrem, quia pater maior me est.

Et nunc dixi uobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Non iam multa loquar uobiscum, uenit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit
40 mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

DE PENTECOSTE.

Loci Duo.

I. Collatio Pentecostes ueteris Testamenti, ad Pentecosten
noui Testamenti.

5 II. De Spiritu sancto, quid sit, ad quid detur, & quibus.

DE PRIMO.

Singulari consilio uoluit Deus conuenire tempora promulgatae legis, & dati Spiritus sancti, ut collatio admoneat pios, de utriusque actionis fine. Die quinquagesimo post exitum ex Aegypto, uidelicet post Pascha populi Israel, pro-
10 mulgata est lex terribili uoce de coelo, quia Deus uoluit extare publicum testi-
monium sui iudicii aduersus peccata hominum. Et cum populus audiisset legem, expauit, ac petiuit, ut per Moisen deferrentur mandata Dei ad multitudinem. Senserunt enim, se non posse sustinere uocem legis.

Hec historia significat eadem quae geruntur in singulis, cum audimus
15 uocem legis, id est, cum sentimus Deum iudicantem. Non enim potest natura hominum rea, sustinere iram Dei iudicantis, & lege terrentis conscientiam, si-
cut inquit Ezechias, Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Ergo promulgata lege agnoscuntur peccatum & ira Dei.

Haec mala cum tollere uelit beneficio noui Testamenti, ut Paschati res-
20 pondet Pascha, umbrae uera uictima, sic promulgationi legis monstrantis pec-
catum & iram, respondet in hac Pentecoste manifestum testimonium donationis Spiritus sancti, per quem incoatur nouum regnum, in quo sonat uox Euangelii de remissione peccatorum, & de donatione Spiritus sancti, incoantis iusticiam, & uitam aeternam. Haec secunda Pentecoste multo gloriosior est priore. In
25 priore monstrantur peccatum & ira Dei, in secunda tolluntur.

DE SECUNDO.

Quid sit Spiritus sanctus.

Quoties de Trinitate cogitamus, intueamur admirandam reuelationem
diuinitus factam in baptismo Christi, ubi tres personae clarissime discernun-
30 tur. Est Spiritus sanctus persona precedens a Patre & Filio, agitans corda, &
exuscitans nouos & diuinos motus, conuenientes legi Dei. Et quidem ipsum dictum Ioelis testatur, Spiritum sanctum esse substantiae diuinae, quia inquit, Effundam de spiritu meo, Meo, inquam qui est meae substantiae.

Ad quid datur?

Hoc copiose traditur, sed sumam unum dictum Zachariae I 2. Effundam
super domum David, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiae, & pre-
cum. Haec dulcissima sententia complectitur omnia beneficia Spiritus sancti,
& ueros cultus Dei. Testatur donari Spiritum sanctum, & hunc esse spiritum
gratiae, id est, in cordibus nostris testificantem, primum quod simus in gratia
40 Dei, seu inclinantem corda, ut adsentiantur promissioni gratiae. Nam hic

primus effectus est Spiritus sancti, inclinare corda ut agnoscant filium Dei, & statuunt se recipi in gratiam, sicut Christus inquit: Ipse me glorificabit, id est, erit testis per Euangelii predicationem, & inclinabit corda ut adsentiantur Euangelio, & noua luce perfundet, ut intelligant Euangelium, & discernant a
5 sapientia mundi.

Cum autem cognoscimus misericordiam Dei, & accipimus remissionem, audemus iam accedere ad Deum, inuocare eum, quia nisi adsit fides, statuens de remissione peccatorum, fugiunt corda Deum, non inuocant, sed fide per Christum habemus accessum ad Deum, ut Rom. 5. dicitur. Item, Rom. 8.
10 Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, id est, cum corda eriguntur uoce Euangelii, & fide, induuntur Spiritu sancto, agnoscunt misericordiam Dei, uere Deum inuocant fiducia filii, agnoscunt Patrem esse &c.

Ideo Zacharias dixit, Spiritum gratiae & precum, duos primos & praecipuos effectus Spiritus sancti complectens, scilicet testificari quod simus in gratia, & impellere ad inuocationem. Porro inuocatio complectitur reliquos
15 pios motus, dilectionem, & nouam obedientiam.

Haec multis concionibus Christi, & Apostolorum amplificantur, quae sunt promissiones infigendae animis, Non relinquam uos orphanos. Constat
20 Ecclesiam in mundo, uelit orphanam esse sine praesidiis humanis, subiectam cruci, oppugnari a diabolo, moliente sectas, disputationes, scandala, caedes, persecutionem, & ab organis diaboli, tyrannis & aliis. Sed Christus inquit, additurum se nobis paraclerum, qui consilio regat, & confirmet mentes, qui retineat mentes in uera sententia, & illustret ut Euangelium recte intelligant,
25 & discernant a sapientia mundi, sicut Christus inquit, Dabo uobis spiritum ueritatis, id est, qui efficit ueraces in doctrina, & in inuocatione.

Quibus detur.

Publica exhibitio Spiritus sancti, fuit testimonium, quod uere detur Spiritus sanctus toti Ecclesiae. Ideo in hoc testimonio contemplerur uniuersalem
30 promissionem. Ut omnibus offertur remissio peccatorum, & omnibus praecipitur ut credant, ita Spiritus sanctus promissus est omnibus, & datur omnibus agentibus poenitentiam, & fide se sustentantibus, sicut manifeste testatur Paulus Galat. 3. Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et Christus inquit, Dari eum petentibus. Lucae II. Quanto magis pater
35 coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Ac diligenter obseruanda est particula petentibus, qua Christus requirit, & postulat petitionem huius muneris. Quod quidem in uerbis illis liberaliter promittit.

Quare agamus poenitentiam, & exerceamus fidem in inuocatione, & petamus Spiritum sanctum, ut nouam lucem, & nouam obedientiam in nobis
40 incoet, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu, id est, nos audito Euangelio, & accepta remissione peccatorum, gloriam Dei speculamur, id est, audemus accedere ad Deum, & uidemus eius gloriam, id est, fulgorem iudicii, ac in illo iudicio, uoce Euangelii, consolationem habemus, ac induimur luce fidei, ut magis magisque iram
45

Dei, & misericordiam agnoscamus, & noua luce, quae est imago Dei, ornemur, id est, noticia Dei, fiducia praesentiae Dei, dilectione, & caeteris uirtutibus, & addit, tanquam a Domini spiritu, ut sciamus hanc renouationem esse, opus Spiritus sancti in nobis.

5 Illud etiam sciamus, excuti Spiritum sanctum lapsibus, contra conscientiam, ut Gal. 5. dicitur, Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis, & deinde, Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, odia, de quibus dixi, talia facientes, regnum Dei non consecuturos esse. Et de his Iohannes inquit, Qui facit peccatum, ex diabolo est, & Ebrae. 10. Filium Dei
10 conculcans, & sanguinem testamenti polluens, & Spiritum gratiae contumelia afficiens. Haec doctrina necessaria est Christianis, ut sciant omnibus promissum esse Spiritum sanctum, & accipi ab omnibus fide in uera poenitentia, & retineri, dum manemus in exercitiis uerae poenitentiae & inuocationis.

* * * * *

15 The following humanistic orations are found in
Melanchthons Werke in Auswahl, vol. III, p. 70 ff.,
p. 135 ff., passim.

De miseriis paedagogorum oratio
(circa 1533)

20 In Aesopi apologis queritur apud Iovem asinus de suis aerumnis cottidianis
se operis confici et enecari: sed est querela paedagogorum de suis miseriis
iustior profecto, si res ad calculos reuocetur, quam asini. Quis enim ullo in
pistrino asinus tantum mali pertulit, quantum mediocris paedagogus in uno atque
altero docendo tum laboris exhaurit tum molestiae perpetitur? Quo in genere
vitae quia mihi aliquamdiu versari contigit et experiri, quam sit calamitosum,
25 libuit in praesentia de paedagogorum miseriis dicere et communia mala nostri
ordinis deplorare. Est enim quaedam in malis voluptas libere conqueri, sicut
Ovidius ait, cum scripsit: Expletur lacrimis egeriturque dolor....

30 Sed exordiar aliquando causam, quam animus meminisse horret luctuque
refugit, et querar apud vos de condicione paedagogorum, quo genere hominum
nulli mihi ne quidem in ergastulis videntur infeliciores.

35 Primum enim cum traditur paedagogo puer docendus et ad humanitatem
ac virtutem informandus, videte quaeso, quam duram provinciam plenamque
miserrimi laboris ac periculorum capiat. Non ante matura aetas pueri videtur,
ut mittatur in ludum litterarium, quam cum domestica indulgentia corruptus
est et vitia tum intellegit tum degustavit; is non modo nullum amorem litterarum
aut admirationem, sed acerrimum erga illas odium, contemptum praeceptorum,
turpissima exempla domo affert. Cum eiusmodi monstro praeceptorum
decertandum est. Si doceas, peregrinatur animus pueri, et ut optime succedat,
sescenties idem inculcandum est, dum illi invito haereat in animo: cum paulum
40 lulum modo despexeris, rursus ex animo illa omnia totiens decantata puero
effluunt. Si reddere cogas, quae didicit, tum vero videas plane ludibrio haberi
praeceptorem. Nam puero, ut est contumacia, voluptas est admisisse aliquid,
quod urat et exerceat praeceptorem. Si quis cogatur docere camelum saltare

aut asinum fidibus ludere, nonne illum egregie miserum dicas, qui frustra maximum laborem sumat? At id tolerabilius est quam nostros pueros docere. Nam ut nihil promoveas in camelo aut asino exercendo, certe illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri cum strenue defatigarunt nos, quam
5 sunt insuper in nos contumeliosi? Invenias, qui palam ausit convicium facere praeceptori et manus auriculas imitatur mobilis albas. Et eiusmodi mores domo ad praeceptores afferunt, nihilo reverentius antea parentes tractaverunt, quam nunc magistros tractent. Et paulatim vertit in naturam mala consuetudo, ut corrigi et emendari haec vitia numquam possint. Quid est, si non haec est
10 miseria, perpetuis curis ac labore in docendo frustra consumi et enecari? Deinde pro tuis meritis etiam ludos deliciasque et quidem puero fieri?

Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in adversum montem volvere, quod tamen e summo iam vertice rursum labitur et plani raptim petit aequora campi, significarique scribunt eo commento irrito labore multos mor-
15 tales confici. Mihi multo clarius repraesentari videretur inanis opera, si pingeretur ibi paedagogus cum eiusmodi puero, qualem paulo ante descripsimus. Quanto enim maius negotium est paedagogo quam Sisypho? Nec tamen maius operae pretium fit. Illius in versando saxo simplex labor est, et cura vacat, paedagogi vide mihi quam multiplex negotium sit. Numquam nisi coactus a
20 praeceptore puer librum in manus sumit: ubi acceperit, oculi atque animus expatiantur. Ibi tamquam calcaria addenda, quae admoneant officii. Enarrat aliquid praeceptor, iam illi delicato somnus obrepit, et securus in utramque aurem dormit, dum se paedagogus dicendo rumpit. Novum ibi negotium fit paedagogo expergefaciendi discipuli. Dictata repetuntur, experrectus adules-
25 cens iubetur adicere animum ad ea, quae traduntur, verum non est cura Hippoclididi, foris est animus tamquam in alio mundo, in ganeis, in alea, in perniciosi sodalicii ludis....

Itaque si postridie dictata reposcas, quia perfluxerunt aures omnia, nil tenet. Ibi magistro redit labor actus in orbem. Orditur pristinam cantilenam
30 nec semel repetit, donec isti trunco unum atque alterum verbum infligatur. Quis est tam cornea fibra, qui non stomachetur tantum operae se perdere, praesertim cum interea et valetudinis iactura facienda sit? Nam atteruntur et labefiunt corporis vires non modo dicendi labore, sed etiam cura doloreque animi, quem, quia non respondent nostrae diligentiae studia puerorum, indig-
35 nitas rei parit. Saeculum in his miseriis consumitur, dum iste primas litteras didicerit.

Nec putet se iam defunctum esse paedagogus, haec tantum nostrae tra-
goediae praeludia sunt, restat epitasis multo aerumnosior. Infinitus labor est os puerile formare et ad Latinam linguam assuefacere. Nam cum lingua ex-
40 poliatur consuetudine bene loquendi camque ad rem disertorum commercia multum momenti afferunt, primum, ut est negligentia, converrunt ex proximo, hoc est a patria lingua omnem sermonem. Latine loqui, quia id difficilior erat, ne quidem conantur. Deinde quia sui similibus delectantur, eruditorum commercia procul fugiunt. Apud unum praeceptorem Latino sermone utendum est, ad quem
45 cum ventum est, dii immortales, quale spectaculum committitur! Puer aliquamdiu in statuae modum prorsus mutus est....

Haec una res cum plus satis afferat molestiae, tamen multo magis exercet praeceptorem stilus, quem, ut Latina lingua fiat puero familiaris, adhibendum esse videt, ut usu scribendi confirmatus tuto loqui possit. Non enim unum remedium ad excutiendum istum veternum puerilibus ingeniis satis est. Sed
5 cum nihil perinde ad parandam quam uberrimam sermonis copiam conducat atque assiduus stilus, non alium laborem tamen perinde recusant suscipere atque scribendi. Nihil est opus hic recensere causas: etenim nota vobis natura hominum nostrorum. Immane quantus labor est percellere, ut vel toto semestri unum epistolion scribant. Ego vero comperi non aliam crucem nobis esse acer-
10 biorem quam cum istis cessatoribus cottidie rixari, cum officii monentur. Neque vero unquam cogi potest, ut unum versum scribat, nisi praeceptor assideat, dictet argumentum, suppeditet verba. . . . Quis non malit in pistrino molere quam hanc tam molestam plenamque stomachi pervicaciam gerere?

Sed fac istum tandem coepisse scribere, plurimum operae in emendatione scriptorum ponendum est. Est enim sceleratus praeceptor, qui hac in re cessat, si Horatio credimus, qui negat bonum virum esse, qui cum censor fiat alieni scripti, vitia non reprehendat. Est enim notus versiculus: Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes.

Primum autem in corrigendis sermonis vitiis oculatus praeceptor non
20 simplicem laborem sumit, dum grammatica errata mutat, dum obscure et ambigue dicta perspicue explicat, dum impropria corrigit, dum horridis addit nitorem et figuris illuminat et gratiora blandioraque facit. Porro relegere inepte scripta puerorum molestum est quamvis patienti praeceptor, quanto magis emendatio fatiget, praesertim cum plerumque ratio etiam, cur quippiam mutarit,
25 indicanda sit? Tum castigandi acrius, qui negligentius scripsere, hortandi alii, ut inceptum cursum urgeant. . . .

Postremo numquam quisquam tam felix praeceptor fuit, cui ita obtemperarit discipulus, ut praescriptam discendi rationem secutus sit, ut ad hos auctores evolvendos alligari se passus sit, in quibus eum solis versari atque
30 commorari tamquam domi suae praeceptor volebat, ut ad tempus scripta absolverit, ut ea, quae edidicit, statis horis memoria repetiverit, ut sermone castigatiore apud sodales usus sit.

Nostri quidem nihil horum praestant, in carcerem se includi citius patientur quam in uno auctore detineri. Varietas grata est illi aetati. Itaque varia,
35 sed plerumque deteriora legunt, si tamen aliquid legunt. Iam fodere malunt quam memoriam aut linguam exercere. Sic sunt pueri in genere, alii magis, alii minus ignavi. Nam etiamsi quis indole generosa est, tamen ea aetate parum in animis roboris est. . . .

Dixi hactenus de aerumnis, quas in docendo tantum perferimus; restat
40 altera officii nostri pars longe difficilior superiori, cura regendorum morum. Quid ibi mali non videt praeceptor? Primum aetas illa natura ad vitium propensior est. Et Plato scripsit nullam beluam intractabiliorem esse puero. Itaque tantopere sudabit praeceptor in regendis his, qui domi summa diligentia parentum ad religionem et ad bonos mores instituti sunt, ut leonem aut ursum
45 experiatur facilius posse gubernari quam hos. Et tamen in scholas quotquot fere mittuntur, pessimos more turpissima exempla afferunt, ut refigendi sint de integro. . . .

Tam corruptum hoc nostrum saeculum est, ut iure possis dicere deceptum esse satiricum, cum dixit:

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat.

Posteritas.

5 Omne in praecipiti vitium stetit.

Neque enim dici potest, quanta accessio scelerum omnis generis nuper adeo ad vetera vitia facta sit. Domestica disciplina periit, quae tamen nobis pueris erat mediocris. Magna diligentia domi tradebantur elementa pietatis. Nunc alia res est, ridentur sacra, eamque summam sapientiam ducunt. Et
10 quia dei metus exemptus est animis puerorum, ruitur in omnia vitia, quorum ego iam memoratone non delector. Proinde cum in scholam ventum est, necesse est sumi in docendis primis pietatis gymnasmatibus operam. Sed quid discerent infecti ante impiis opinionibus? Sed ut mediocriter succedat, tamen in officio retinere quantus labor est, domi retinere, arcere a corruptis sodali-
15 bus, a ganeis, ab alea et reliquis similibus? Hoc qui potest, illum ego non hominem, sed plane deum quandam caelitus in terras publicae salutis causa delapsum esse pronuntiavero. . . .

Omnia curarum percurrere nomina possim.

Postquam praeceptoris labores recensui, nunc videte, quae vicissim pro his
20 tum merces tum gratia redeat. Haec vero est tragica catastrophe: superiora omnia ludum et iocum dices fuisse, prout haec mala sunt, quae restant commemoranda.

Primum merces adeo est exigua, ut satiricus ea de re questus scripserit:
Paenituit multos vanae sterilisque cathedrae.

25 Iure sterilem cathedram dixit. Nam fossorem pluris quam praeceptorem conducunt. In his miseriis algemus, vivimus siliquis et pane secundo et vix nos a fame defendimus. Videtis enim meam maciem, videtis, ut lacer incedam; quae si fortuna fecisset vel bibliopolam, scitis, quale sit id genus, ego iam auro onustus incederem tamquam aliquis satrapa.

30 Deinde summa ingratitude puerorum est, qui non modo nullum se a nobis beneficium accipere dicunt, sed neminem peius de se mereri arbitrantur quam nos. Qui nihil discunt, nos perinde ut litteras acerrime oderunt velut suos carnifices. Quidam alii leviter degustatis litteris cum iam aliquam induant eruditionis persuasionem, sic placent sibi (nam id solet ea aetas), ut praeceptores nihil morentur seque iam ad summum fastigium eruditionis pervenisse
35 putent, ubi ex alto nos despiciant. Et non modo non vident, quam curtam habeant suppellectilem, sed ne id quidem expendunt, quibus acceptum ferre debeant id, quantumcunque est, quod didicerunt. Nec ego interea recito, quam variis contumeliis nos afficiant, ut suspendant naso, posticis sannis petant, si
40 quid moneamus.

Videte quaeso, quam misera condicio nostra sit. In eam aetatem beneficia nostra collocantur, quae nondum benefacta intellegit: tantum abest, ut mutuo amore nos complecti aut gratiam habere pro nostris officiis queat. Sic percunt nobis beneficia nostra magis quam ullis mortalibus. Nam etiam cum
45 senuere discipuli, quia beneficii memoria non solet esse diuturna, nemo iam praeceptorum meminit, quidam etiam malam gratiam reddunt, ut Nero fecit. . . .

Si quis huc conferat pro nostris omnia vitae genera, inveniet in nullo tantum calamitatum quantum in nostro, planeque affirmare ausim nos omnium mortalium longe aerumnosissimos esse, qui cum summos labores obeamus, in summa tamen inopia vitam aegre traducimus et interim nullo non contumeliae
5 genere afficimur a discipulis, ab illorum parentibus, denique ab his, de quibus praeclare meremur. Neque quisquam opinor vestrum est tam ferreo pectore, quin, si haec consideret, vehementer misericordia nostri commoveatur. Super-
persunt autem multo plura mala, sed ego defessus sum hac commemoratione, et tempus vetat prolixiorum esse orationem.

10 Itaque ut finiam, sunt mihi in hoc extremo actu discipuli nostri commone-
faciendi, ut, quoniam audierunt sua vitia accusari, ignaviam, contemptum lit-
terarum, amorem voluptatum atque otii, ingratitude, admoniti a nobis dent
operam, ut haec emendent, ita et nobis minuetur labor noster, et ipsi domum
15 summa cum laude redibunt et afferent egregium instrumentum rei familiaris
conservandae, dignitatis comparandae et reipublicae gerendae. Nam cum vacui
domum redeunt, quid accidit? Quia nihil didicerunt, nullius usus sunt in re-
publica domique cum summa ignominia vivunt. Deinde quia in otio multa vitia
contraxere, ea haerent in illis, potant, amant, latrocinantur, ut publicum
20 odium urbis fiant. Exitus autem his moribus respondet: alii inter pocula oc-
ciduntur, alii suas fortunas in alea perdunt, alios perdidere amores. Possem
infinita exempla recitare, si sineret tempus.

Sic enim deus poenam sumit de his, qui primum deo auctore adhibiti ad
discendum non faciunt suum officium. Nam quod parentes iusserunt, id deus
tamquam sua iussa fieri voluit. Deinde malam gratiam benemeritis praecep-
25 toribus reddunt. Noli enim putare ullum esse scelus, quod perinde offendet
deum atque ingratitude. Sic enim scriptum est: fore ut non recedat malum a
domo ingrati. Quantum autem doctoribus debeatur, tum inde existimari potest,
quod in vicem parentum succedunt et illorum affectus erga pueros induunt, tum
etiam Paulus commonet, cum ait: duplici honore dignos esse doctores. Proinde
30 si cupitis, ut fortunet vobis deus universum vitae vestrae cursum date operam,
ut vicissim ea praestetis, quae ille a vobis exigit, ut naviter obeatis provinciam
vobis a parentibus commissam et ut praeceptores vestros amanter complecta-
mini et religiose colatis, ut et nostra studia et nostrum amorem erga vos
augeatis et mala nostra vestra commoditate mitigetis. Dixi.

35 Oratio de studiis linguae Graecae 1549

Oratio de studiis linguae Graecae a Vito Winshemio dicta.

Cum praesentis temporis atque officii ratio mihi hoc munus imponat, ut
in hoc consessu brevem orationem habeam, non aliud argumentum deligere
volui, quam ut ad Graecae linguae et litteraturae, quam profiteor, studium
40 adulescentes adhortare, etsi id minus commode a me fieri posse intellego.
Impossibile enim est, ut de linguae dulcissimae atque eruditissimae laudibus
pro dignitate dicatur nisi ab homine eloquenti atque haud vulgariter docto,
quorum neutrum mihi arrogo. Sed spero tamen vos etiam haec qualiacumque
boni consulturos esse, praesertim cum me non ambitione, sed officii ratione
45 motum has dicendi partes suscepisse sciatis...

Inter linguas Graeca, sive multiplicem doctrinam spectemus, quam Deus per hanc linguam humano generi impertivit, seu suavitate atque elegantiam, facile primum locum obtinebit. Nam primum huic linguae Deus novum testamentum, hoc est eam doctrinam, cuius ad nos nuntium ac doctorem aeternum
5 filium suum misit, concredidit. Cum enim populus Iudaicus propter ingratitude-
dinem a gratia divina excidisset atque iuxta veterum oraculorum praedictionem
gentibus haec mysteria clementiae divinae adnuntianda atque offerenda essent
et Graecorum cum natio tum lingua longe lateque tunc Asiam atque Europam
occupaverat, voluit Deus hanc linguam eius doctrinae potissimum nuntiam et
10 ministram esse. Ad cognoscendum igitur atque recte intellegendum novum
testamentum, quod continet evangelium Christi, omnino opus est huius linguae
auxilio. Nam cum et filius Dei, redemptor noster, in hoc libro de rebus
caelestibus, de regno patris sui suoque, de aeterna salute nostra ita signifi-
cantly, ita dilucide contionetur, ut nulla creatura, nullus vel angelus vel homo
15 ita loqui potuerit, et apostoli a Spiritu sancto afflati eandem in dicendo lucem
imitari studuerunt et orationem suam ad Christi praeceptoris sui dicendi figu-
ram quam proxime effinxerunt. Multaeque hic sunt voces, multae figurae ac
phrases, multae item sententiae, quibus mirabile pondus inest: pleraque enim
ex prophetis scriptis deprompta sunt eaque incredibili atque inimitabili ver-
20 bo et luce atque emphasi reddita, et tota denique oratio spirat reconditam quan-
dam ac divinam sapientiam. Non vulgariter certe cruditus grammaticus a me
censebitur, qui novum testamentum poterit, saltem grammaticae, dextre ac
recte interpretari et illam sermonis vim atque energiam utcumque explicando
assequi.

Huc accedit, quod haec natio postea quoque primae ecclesiae ac purioris
25 doctrinae doctores atque interpretes complures habuit pios ac sanctos; qui cum
historiam primum nascentis ecclesiae fideliter descripserunt tum vero cruditis
interpretationibus eandem doctrinam sacram utiliter illustrarunt. Destituuntur
igitur et fontibus ipsis et sinceriore explicatione multarum huius doctrinae
30 partium, qui ope linguam Graecae destituuntur. Nam quod ad versiones attinet,
vidimus, quanta miseria sit, si quis illis solis niti cogatur. Nam praeterquam
quod vix fieri potest, ut sententia ubique eadem felicitate ac perspicuitate in
alienam linguam transfundatur, multa etiam alia incommoda interpretationes
sequuntur, fitque saepe, ut vel inter reddendum nativus sensus obscuretur vel
35 in aliam quasi speciem transformetur atque ita pervertatur, ut vix eundem
agnoscere possis, et non raro usu venit, ut verius metamorphosin quam inter-
pretationem talem versionem dicere possis: id quod non solum in sacris litteris,
sed in aliis quoque disciplinis accidere solet. Quam dulce igitur est, immo
vero quanta felicitas est posse cum filio Dei, cum evangelistis et apostolis ipsis,
40 cum divo Paulo absque interprete loqui et veras vivasque audire ac reddere
voces! Quod si tantum tribuimus nonnunquam gratiae ac favori alicuius regis
aut principis, ut ipsius causa atque ut absque interprete cum eo colloqui possi-
mus, barbaricam aliquam linguam discere non dubitemus, immo vero si turpis
lucris spe saepe non una barbarica lingua cum ingenti temporis iactura nec sine
45 vitae periculo discitur (quod a mercatoribus fieri videmus, qui liberos suos
peregrinas linguas tenere volunt non aliam ob causam, quam ut cum illis genti-
bus postea commercia habere possint, unde aliquid lucris accessurum sperant:
ita leves saepe causae impellunt homines, ut etiam indoctarum et barbaricarum
linguarum cognitionem appetant), quanto magis aeternae felicitatis ac salutis
50 cura nos incitare debet, ut linguam omnium dulcissimam et cum tot

pulcherrimarum artium magistram tum vero caelestis doctrinae nuntiam atque aeternae salutis et tantorum beneficiorum divinorum conciliatricem amplectamur!

Non absque singulari consilio divino factum est, quod evangelii doctrina, etsi per totum orbem spargi debuit, tamen huius gentis lingua primum ac potissimum de scripta atque ita ad posteros transmissa est. Cum enim haec lingua iam ante doctrinam morum, disciplinae et humanitatis, hoc est legis divinae, contineret, cum optimarum artium vitaeque humanae summe necessariarum magistra esset, cum rerum gestarum et historiae mundi ταμείον, voluit Deus et hunc thesaurum per eiusdem linguae ministerium humano generi imper-
10 tiri, ut ostenderet inter cetera beneficia sua hoc beneficium vel praecipue ex-
petendum atque amplectendum esse.

Quapropter si fieri posset, optandum foret, ut omnes mortales hanc linguam discere ac tenere tantaque commoditate perfrui possent. Sed quando id vix fieri potest, illi certe, quos Deus ad litterarum ac doctrinae studium sevo-
15 cavit, hoc tantum beneficium divinum neutiquam negligere debent. Non mirum enim est infeliciter eos alias doctrinas tractare, qui hac luce amissa in tenebris versari malunt. Nam videte mirabilem clementissimi Dei bonitatem, providentiam ac cupiditatem largiendi bona sua hominibus inenarrabilem. Qui ut quam plurimos homines ad hanc linguam discendam invitaret, multis eam illecebris,
20 multis invitamentis undique cumulabit. Primum enim non alia lingua dulcior est, non alia suaviore sono auribus illabitur, et si verum est, quod Herodotus ait, animum in auribus habitare, non alia certe maiorem vim habebit ad demulcendos ac percellendos animos hominum. Deinde pueris ut crustula blandi dant prae-
ceptores, ut benigni parentes ac propinqui dulciariis aliisque id genus munusculis
25 pueros ad se invitare solent non aliam quidem ob causam, nisi quia eos amant et vicissim ab eis amari atque ipsis benefacere cupiunt, hoc illis volupe est, hoc maxime delectat, ita Deus, benignissimus pater, multifariis dulcissimarum artium condimentis hanc linguam refersit, ut, dum illas illecebras sectamur, interim etiam doctrinam de paterno ipsius erga nos amore, de oboedientia nos-
30 tra erga ipsum deque aeterna salute ac felicitate nostra simul apprehendamus...

Quam igitur haec duo coniuncta sunt, linguarum atque elegantioris litteraturae cognitio et pura doctrina veritatis, id nostro saeculo satis manifeste, ut opinor, apparuit. Statim enim, ut linguarum lumen effulsit, simul emicuit purior lux evangelicae doctrinae, et cum omnium ceterarum ingenuarum artium
35 tum vero praecipue medicinae sanior ac sincerior explicatio secuta est. Quapropter etsi verum est, quod Plutarchus ait, doctrinae laudem mereri, non in ore aut lingua, sed in pectore habuisse Musas, attamen res ipsa indicat, quam haec duo certo foedere inter se iuncta sint nec pectus erudiri posse nisi opera ac beneficio linguae. Recte igitur sermo a Platone vocatur seminarium doc-
40 trinae. Jam sicut ea, quae ex terra nascuntur, si semen vel ignobile sit vel aliquo vitio corruptum, maligne proveniunt, degenerant messes et plantae, ita cum genus sermonis sordidum, corruptum ac vitiosum est, corrumpitur illo vitio ipsa doctrina quoque, obscuratur, ac saepe pervertitur veritas ipsa. Quod ita fieri non est ut miremur. Non enim aliud est instrumentum magis proprium
45 vel pulchrius universae doctrinae quam oratio pura et perspicua.

Quicumque igitur doctrinam veram solidamque expetunt, hi linguae atque orationis puritatem ac nitorem sibi neutiquam negligendum esse statuunt; verum

eam virtutem numquam consequentur, qui linguae Graecae subsidio destituuntur. Nam Latinus sermo quidquid habet elegantiae aut venustatis, id ex Graecis fontibus accersitum est; si demas scriptoribus Romanis lumina Graeci sermonis, quod praeterea emineat, parum erit. . . .

5 Ut taceam, quod sicut studia abeunt in mores, ita et sermonis vitium
plerumque comitantur vitiosi mores et mentis character fere est ipsa orationis
forma: quae si peregrina, si distorta vel prodigiose adfectata vel horrida est,
non dubium est, quin et consimilis sit sensus, consimiles mores. Quid enim
aeque cognatum est ingenio et naturae hominis ut oratio? Ea vero ut non rudis,
10 sed culta et erudita sit, ita consequemur, si linguas studio ac doctrina mag-
norum hominum expolitas discemus: atque inter eas Graeca haud dubie ceteris
omnibus palmam praeripuit. Nam ut nitore, elegantia, venustate ac suavitate
facile ceteras vincit, ita doctrinae, humanitatis et omnium ingenuarum artium
fons est ac magistra. Neque nos moveat, quod haec tempora bonis tum studiis
15 tum moribus nimio plus infensa etiam huic linguae atque doctrinae minus aequa
sunt. Communis haec est fortuna optimarum rerum; non enim haec tempora
aequiora sunt veritati, non aequiora purae doctrinae pietatis, non denique ipsi
Deo, conditori rerum omnium ac conservatori. At veteres synodi magna cura
linguarum cognitionem in ecclesia conservandam esse censuerunt, quod tes-
20 tantur illis temporibus nata decreta et canones. Haec postrema faex mundi ut
veritati ipsi infensa est, ita et organa verae doctrinae odit: vellent omnia
recidere ad illud vetus chaos, ut vel inter pecudes saltem regnum obtinere
possent. . . .

 Quapropter si ad veterem illam barbariem respectamus, si praesentis
25 lucis pertaesi priores tenebras requirimus, ut id consequamur, non alia magis
compendiaria via est, quam ut linguarum studium interire sinamus et praecipue
Graecae linguae. Haec enim ut lumen caelesti doctrinae praefert, ita totum
orbem liberalis ac cultioris doctrinae fulcit atque sustentat. Quod si quem
omnino glandes ac suillus victus delectant magis quam humanus, eum una cum
30 gryllo inter porcos vitam exigere sinamus. Nos vero aeternum ac clementis-
simum Deum, patrem domini nostri Iesu Christi, toto pectore precabimur, ut
puram et sinceram sacratissimi verbi sui doctrinam in ecclesiis nostris non
sinat intercideri aut erroribus iterum contaminari vel obscurari sophisticis
praestigiis, ut in his mundi senescentis tenebris saltem haec lux non extin-
35 guatur, utque haec studia optimarum artium et linguarum, quae partim caelesti
doctrinae explicandae serviunt, partim verum ac rectum iudicium de rebus
formant, partim opitulatur huic miserae humanae vitae, clementer tueatur ac
conservet et, cum ipse horum omnium bonorum fons atque auctor sit, ut haec
sua beneficia inter nos rata ac firma esse velit nosque vicissim haec divina
40 dona reverenter tractemus et cupide amplectamur nec ullum etiam studium aut
laborem, dum illa consequi possimus, recusemus, ne nobis hoc veteris poetae
occinatur:

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.

Gratae avibus ficus, sed nolunt ferre laborem.

45 Debent vero nos etiam corruptelae doctrinae sacrae, errores et blas-
phemiae horum temporum invitare ad serio discendum, ut et nos et alios contra
illos laqueos satanae communire ac praeparare possimus. Sic enim Deus prae-
cipit: 'Disce, fili mi, sapientiam, ut refutari possint hi, qui mihi convicium
faciunt: et gaudebit cor meum.' Dixi.

The following selections from the Philosophiae Morales Epitomes are found in Melanchthons Werke in Auswahl, vol. III, pp. 157-174, passim, and p. 254 ff.

Philosophiae moralis epitomes 1546

5

LIBER PRIMUS

Quid est Philosophia moralis?

Est notitia praeceptorum de omnibus honestis actionibus, quas ratio intelligit naturae hominis convenire, et in civili consuetudine vitae necessarias esse, quaesitis fontibus praeceptorum arte et demonstrationibus, quantum fieri potest. Sed eruditissima definitio est haec: Philosophia moralis est pars illa legis divinae, quae de externis actionibus praecipit.

Quid interest inter Philosophiam et Evangelium?

Imprimis opus est initio discernere genera doctrinae, videlicet Evangelium, legem Dei, et Philosophiam. Nam confusio horum generum parit horribiles errores. Econtra plurimum lucis affert collatio ad intelligenda singula genera, et verae laudes philosophiae maxime in hac collatione conspiciuntur. Haec est enim solida et praecipua laus philosophiae moralis, intelligere quod vere sit pars legis divinae, et ut Paulus inquit Romanos I. Ius Dei. Sed illud diligenter considerandum est, Evangelium prorsus aliud genus doctrinae esse quam philosophiam. Nam proprius Evangelii locus est promissio, qua Deus propter Christum pollicetur nobis gratis remissionem peccatorum, et reconciliationem et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Et haec promissio divinitus revelata est, non est deprehensa ratione, sicut Ioannes inquit: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Ratio enim sine verbo Dei non statuit Deum nobis remittere peccata, non iudicat gratis remitti peccata. Haec prorsus sunt extra conspectum rationis, et aliena a philosophia. Porro lex Dei est doctrina, quae praecipit nobis, quales nos esse oporteat, et quae opera erga Deum et homines praestanda sint, seu est doctrina requirens perfectam oboedientiam erga Deum; nec est promissio gratis pollicens remissionem peccatorum, nec iudicat nos placere Deo. cum legi non satisfacimus. Iam qui discrimen Legis et Evangelii intelligit, facile iudicabit, cui generi sit affinis philosophia, prorsus enim aliud doctrinae genus est philosophia quam Evangelium. Nihil enim docet philosophia de remissione peccatorum, nec ostendit quomodo Deus approbet indignos. Ceterum philosophia pars est legis divinae. Est enim ipsa lex naturae ab ingeniosissimis hominibus animadversa atque ordine explicata. Constat autem legem naturae vere esse legem Dei de his virtutibus, quas ratio intelligit. Nam lex divina hominum mentibus impressa est, sed in hac imbecillitate naturae obscurata est, ut non satis perspicui possint illa praecepta, quae iubent statuere de voluntate Dei, et de perfecta oboedientia cordis praecipiant. Sed manet iudicium de honestis actionibus exterioribus, idque nobiscum nascitur, quod ipsum tamen est lex naturae et pars legis divinae. Nec habet humana natura ullam dotem praestantioris hac notitia, hoc est, discrimine honestorum et turpium. Hoc est evidentissimum vestigium Dei in

natura, quod testatur homines non extitisse casu, sed ortos esse ab aliqua aeterna mente, quae discernit honesta et turpia. Quod si natura hominis esset integra, tum vero in hac notitia luceret Deus et mens hominis praedita magis perspicua notitia, multo esset illustrior imago Dei. Magna dignitas est hominis, quod mentes humanae sunt velut speculum, in quo fulget sapientia Dei, videlicet sapientia legis. Nam praecipue Deus per hominem voluit innotescere. Magna igitur laus est philosophiae moralis, quod est pars legis divinae et sapientia Dei, etiamsi non est Evangelium. Sed hic sciendum est philosophiam esse non omnes omnium opiniones, sed certas notitias, quae sunt demonstrationes, aut earum membra, id est, principia vel conclusiones. Ut enim in aliis artibus sunt principia et demonstrationes, quae non possunt labefactari: ita et in philosophia morali sunt certa principia practica, et hinc nascuntur firmae demonstrationes. Et ut artes sunt naturae explicatio, ita demonstrationes in philosophia morali sunt explicatio naturae hominis, ut infra ostendemus...

15

Quis est finis hominis?

Est prima quaestio de fine, quia sicut physica quaerit alias causas hominis, ita philosophia moralis proprie quaerit de fine hominis: ergo ad naturam hominis cognoscendam opus est etiam doctrina morali, quia integra cognitio cuiuslibet rei, quantum fieri potest, flagitat inquisitionem omnium causarum. Deinde et illud hominis eruditi est, hoc loco considerare, quod doctrina moralis oriatur ex physicis, quia ad physicos primum pertinet quaestio de causa. Ut igitur de aliis rebus et animantibus necessario quaerendum est de fine, seu de usu, seu ad quem usum sint res conditae, ita de humano genere maxime quaerendum est, ad quem usum et finem haec praestans natura condita sit. Haec quaestio de fine est initium philosophiae moralis. Unde autem ortae sint dissensiones inter philosophos de fine, postea ostendemus. Primum enim quid sentiendum sit iis, qui recte et erudite philosophantur, constituam. Cum philosophia moralis sit pars legis Dei, ut supra dictum est, prorsus idem finis est hominis secundum legem divinam, et secundum veram philosophiam, videlicet agnoscere Deum, eique oboedire, et eius gloriam patefacere et illustrare, et tueri societatem humanam propter Deum. Homini enim impressa est imago Dei, ut in ea luceat et agnoscat Deus. Imago enim debet ostendere archetypum. Ergo finis hominis est agnoscere Deum, et patefacere eius gloriam. Sicut autem aliae naturae habent acres et ingentes impetus ad suos fines, sicut sol ad conficiendum suum curriculum, celerrimo motu rapitur, ita in hominibus oportuit esse ardentissimos motus ad assequendum hunc finem, id est, ad notitiam Dei illustrandam, et ad oboediendum Deo. Nec cogitari quicquam posset pulchrius tali natura hominis, si in ea luceret firma et illustris notitia de Deo, et constaret harmonia, sic, ut Deo oboedirent omnes vires hominis. Sed postquam vitiata est hominis natura morbo originis, obscurata est illa notitia Dei, et secuta inoboedientia, et manet tamen finis, ad quem conditi sumus, et manet aliqua legis notitia, videt et ratio soli homini impressam esse notitiam de Deo; quare intelligit Deum conditorem esse, eumque iustum et vindicem scelerum esse, eique praecipue oboediendum esse. Ergo idem finis hominis constituendus est iuxta legem Dei, et veram ac eruditam philosophiam. Recte igitur Stoici dixerunt cetera hominum causa esse condita, homines vero Deorum causa, id est, ut innotescat Deus per homines, ut societati humanae proponamus notitiam Dei et iustitiam, ut in utroque Deus agnoscat. Idem monent et sententiae in Poetis, qualis et illa est, quam citat Paulus in Actis. Sed iuxta

Evangelium finis est, agnoscere Christum filium Dei, et accipere oblatam misericordiam, et glorificare Deum, eique oboedire. Dictum enim est supra discrimen esse inter legem et Evangelium, et tamen ita proponitur in Evangelio finis Christus, ut in eo Deus apprehendatur, et vere agnoscatur: ergo Evangelium etsi concionatur de agnitione Christi, tamen complectitur etiam finem in lege propositum. Iam hic cogitent bonae mentes, quid requirat notitia finis. Nusquam ab hac meta discedendum est. Omnia consilia, omnes actiones eo referri debent, omni contentione atque impetu animus conniti debet, ut hunc finem assequatur et ornet. Ita contendere toto pectore debemus, ut Deum agnoscamus, eique obtemperemus, et eius gloriam illustremus, sicut Christus inquit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater coelestis, et in precatione primum petimus de illo fine, sanctificetur, id est, vere agnoscatur nomen tuum, et verbum tuum. Et gravissimus extat Nazianzeni versiculus: ἀρχὴν ἀπάντων καὶ τέλος ποιεῖ θεός. Hic etiam considerandum est, quanta sit infirmitas humana, quod hunc finem non ita intuetur, et expetit ut debet. Rursus, quantus sit furor palam tollere hunc finem, quasi ex natura deleri possit. . . .

Quomodo loquitur Aristoteles de fine?

Cum in natura hominis corrupta non satis luceat notitia Dei, Aristoteles de fine paulo aliter loquitur, constituit enim finem hominis generaliter rectam actionem supremae potentiae in homine, hoc est, actionem virtutis, seu virtutem. Quaerit enim finem ex ordine et dignitate potentiarum; sed si quae- sisset actionum gradus, invenisset summam actionem esse agnoscere Deum et oboedire Deo, et vidisset virtutem referendam esse ad illum finem, videlicet ad agnitionem Dei. Etsi igitur finis ille, quem supra constituimus, recte et philosophice constitutus est, tamen non confutabimus sententiam Aristotelis, ne subtilitas remoretur adolescentes; verum interea studiosi cogitent hominem non esse sibi finem, sed homines Dei causa nasci, et virtutem per sese non esse illud extremum, in quo acquiescere mens debet, sed referendam esse ulterius, ad agnitionem Dei et ad oboediendum Deo.

Hactenus de principali fine dictum est, comitantur autem virtutem, et alii fines minus principales, quos etiam rectum est appetere suo loco, et possunt coniungi fines, sed ita, ne deseratur principalis finis. Et quidem prodest infixam esse animis persuasionem, quod poenae non accidant casu improbis, sed divinitus reddantur praemia et poenae, ut cum ordinationem Dei consideramus, sciamus hos fines esse certos: Deus enim pollicetur praemia pro virtute, iuxta illud: Qui fecerit ea, vivet in eis. Item: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Econtra manifestum est, divinitus ad supplicia rapi eos, qui externa delicta committunt, ut homicidas, tyrannos, periuros, contaminatos foedis libidinibus. Nec pugnant inter se, gratis oboedire Deo, et expetere praemia, aut oboedire metu poenae, scilicet, si principaliter voluntas Dei spectetur, et secundo loco ac minus principaliter appetatur utilitas.

Quae est ratio sententiae Aristotelicae

Propria actio cuiusque naturae est eius finis, actio virtutis est propria actio hominis: ergo actio virtutis est finis hominis. Haec est apta demonstratio sumpta ex physicis principiis. Observent autem hic studiosi, quod

inspecta natura ex ratione finium hoc argumentum sumitur, cumque ex veris et firmis physicis principiis, quae sunt divinitus ordinata in natura, ortum sit, sciendum est esse legem Dei. Ideo enim leges naturae sunt leges divinae, quia divinitus in natura ordinatae sunt.

5 Quid sentiendum est de Epicuri opinione, qui defendit voluptatem esse finem hominis?

Non est utile moribus aut reipublicae assuefacere ingenia ad defendendas monstrosas et absurdas opiniones. Nam et significatio est distortae naturae, delectari paradoxis, quae abhorrent a communibus iudiciis bonorum et prudentum. Oritur enim ea res plerumque ex petulantia, aut perversitate quadam naturae, deinde exemplum nocet, quia sic assuefacti deinde leges, religiones atque artes evertunt. Illud est autem ingenui animi, amare simplicem veritatem, fugere absurdas opiniones improbatas bonorum et prudentum iudiciis, et toto pectore odisse sophisticen, qua interdum aliqui ingeniis abutentes, falsas opiniones ornant. Iure igitur vituperatur Valla, qui cum rabiose maledixerit ceteris philosophis omnibus, assurgit uni Epicuro, qui ut in ceteris philosophiae partibus plane scurratur, ita in hac opinione de voluptate longissime discedit a veris rationibus et illo fine, ad quem natura hominis condita est. Diluam igitur rationes Epicureorum diligenter collectas.

20 Prima. Illa actio est finis, ad quam natura ultro fertur, et non coacta.

Ad voluptatem ultro rapiuntur homines maximo impetu, ad virtutem vix cogi possunt. Ergo voluptas est finis hominis, non virtus.

Hoc argumentum non facile dilui potest a philosophis, quia philosophia non cernit, unde sit hoc dissidium ingens rationis et appetitionum in natura hominis, sed Christiana doctrina monstrat causas huius dissidii, et testatur naturam hominis vitiosam et corruptam esse. Quare iuxta Christianam doctrinam facilis est responsio ad minorem, quod scilicet per accidens fiat, ut nunc natura in hac corruptione non obtemperet rationi. Nam si esset integra natura, perfecta oboedientia et concordia omnium virium existeret, et perpetuo quodam impetu, tota natura raperetur ad virtutem. Considerent igitur hoc loco studiosi, quantum philosophiae lucis accedat collata doctrina Christiana, et utrumque genus hac collatione fit iucundius. Philosophia agnoscit et fatetur horribilem imbecillitatem esse in natura hominis, et dissidium rationis et appetitionum, etsi causam non videt. At doctrina Christiana ostendit causas. Ceterum philosophi ad minorem respondere possunt hoc modo. Minor neganda est, quia non tota natura fertur ad voluptatem, sed pars inferior et bruta. Ratio vero seu iudicium mentis, quae est pars superior, reclamationem et improbat appetitiones, quae non obtemperant, et statuit virtutem quiddam praestantius esse, etiamsi non sequitur voluptas.

40 Secundum argumentum. Natura maxime appetit conservationem sui. Voluptas est conservatio naturae, virtus destructio, sicut Socrates et similes magni viri mortem oppetere coguntur propter virtutem. Ergo voluptas est finis hominis.

Aptissima responsio est ad minorem. Verum est voluptatem esse

conservationem naturae per accidens. Sed econtra virtus per sese est conservatrix naturae, quia neminem laedit et tuetur alios. Voluptas vero multipliciter laedit alios, ut sibi consulat, non suscipit labores pro communi defensione, appetit alienas opes et coniuges. Quod autem virtus non est conservatio naturae, fit per accidens in hac malitia hominum: nam virtus Senecae non est per se causa, quod Seneca interficitur, sed iniusta cupiditas et crudelitas tyranni, qui est hostis virtutis. Item virtus est conservatio speciei, quia omnes difficultates bonorum virorum directae sunt ad conservationem communis societatis. Econtra voluptas dissipat universam speciem, dum sibi quisque privatim consulit. . . .

Quintum. Christus pollicetur summum bonum. Christus pollicetur aeternam vitam et laetitiam. Ergo illa laetitia est summum bonum.

Respondeo ad minorem, vita aeterna principaliter est nova et perpetua agnitio Dei et oboedientia. Haec bona principaliter Christus pollicetur, sicut testatur in Ioan. Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Atque ita videmus in Evangelio vere restitui illum finem, ad quem proprie conditus est homo, videlicet ut homines clara luce agnoscant et celebrent Deum, et ei oboediant, sicut supra dictum est. Porro haec summa bona comitantur etiam alia bona, vitae perpetuitas, et aeterna laetitia; ut autem principalem finem spectaremus, et discernere agnitionem Dei a tranquillitate corporis, subiecit Deus pios in hac vita durissimis afflictionibus, et intus teneri vult principalem finem, etiam cum non contingit tranquillitas corporis. Testatur et ipsas afflictiones exercitium esse, quo exuscitemur ad intelligendum principalem finem. Itaque etsi quidam ludentes accommodant Epicuri dicta de voluptate ad doctrinam de tranquillitate conscientiae, aut perpetuis gaudiis, tamen dissimillimae sunt sententiae, et huiusmodi sophisticae praestigiae officiunt iudicio. Hactenus dilui argumenta, quae Epicuri sententiae patrocinari videntur, et ex his solutionibus facile possunt similia argumenta iudicari. Interim vero debent in conspectu esse aliquae firmae rationes, quae Epicuri opinionem evertant. Quare collegi has quinque rationes. Prima. Propria actio cuiusque naturae est eius finis. Actio virtutis est propria hominis. Ergo virtus est finis hominis.

Secunda. Naturale et immutabile iudicium est mentis humanae, quod sit Deus, et quod Deo debeatur oboedientia propter ipsius voluntatem, etiamsi non sequerentur poenae aut praemia: ergo voluptas non est finis, sed agnoscere Deum, et Deo oboedire. Etsi autem Epicurus impudenter deridet hanc rationem, tamen quaerendum est, quid recta ratio probet, non quid Epicurus audaciter confinjerit. Nam philosophum dissentire a iudicio naturali rationis, et a lege naturae, flagitiosissimum est. At Epicurus abolere iudicium naturae et conscientiam conatur, quae in omnibus hominibus clamitat: Discite iustitiam moniti et non temnere divos. Item: At sperate deos memores fandi atque nefandi.

Tertia ratio. Illud est finis, quod praecipue movet agentem. *Στοργαί φυσικά* movent sine respectu utilitatis et voluptatis, ut, pater amat liberos non suae utilitatis causa: ergo voluptas non est finis, sed ipsae *στοργαί* et virtutes sine respectu voluptatis. Pugnant autem Epicurei et hac in re cum natura, quod tollunt *στοργὰς φυσικὰς*, cum negant hominem natura

alteri bene velle, sed tantum captare propriam utilitatem aut voluptatem. Rectius Aeneas apud Virgilium, qui ait se pietate, non voluntate adductum, ut patrem adiret: Vicit iter durum pietas, iuvat ora tueri etc. Valla dictum Virgilii accommodat ad Epicuri sententiam. Vicit amor patriae laudumque immensa
5 cupido. Nec videt Virgilium coniunxisse virtutem et praemium. Non enim nego praemiis moveri animos, sed principalis finis debet esse virtus.

Quarta ratio. Impetus heroici, qui pariunt praestantissimas actiones, movent sine respectu utilitatis: ergo praestantissimarum virtutum actiones non suscipiuntur propter voluptatem et utilitatem nostram: quare voluptas non
10 est finis. Antecedens est manifestum. Sicut enim Ovidius impetu ingenii ad scribendum poema impellitur potius, quam praemiis aut ulla externa utilitate, ita Alexander, Torquatus, Scipio, Caesar incitantur ad fortitudinem non populari laude et commodis, sed duce natura: ergo illi ipsi motus sunt finis, non voluptas.

Quinta ratio. Illud non est praecipuus finis, quod plerasque pulcherrimas virtutes evertit: nostram utilitatem praecipue spectare repugnat multis praeclaris virtutibus: ergo nostra utilitas non est praecipuus finis. Minor confirmari potest multis exemplis. Sed illustra sunt de continentia, iustitia et amicitia. Si periculi causa tantum abstinendum est ab alterius coniuge, ut vult
20 Epicurus, quaero an, periculo sublato, remota sit etiam turpitudine. Item quaero, an liceat fallere datam fidem, si nihil sequatur periculi. Item, an natura ad iuvandos alios, an tantum nostri commodi causa ducamur, an in rebus adversis amissa spe commodi rectum sit amicos deserere, in his omnibus ratio
25 sani hominis iudicat, recte faciendum esse, ctiamsi removeantur commoda et pericula. Est igitur explodenda opinio Epicuri, praesertim a Christianis, cum Christus tum multa de cruce concionetur, et tamen scimus interim bona corporis suo loco recte expeti, modo ut praeferatur virtus.

Estne probanda Stoicorum opinio, qui contendunt nihil esse bonum praeter virtutem?

Haec quaestio tantum continet controversiam de vocabulo. Nam Stoici vitam, bonam valetudinem, opes concesserunt esse res expetendas, sed non tribuerunt eis boni appellationem, et vocabulum boni male interpretantur. Non autem decet bonos viros serere λογوماχίας ad conturbandas honestas
35 opiniones. Bonum significat in philosophia proprie conveniens naturae. Est igitur duplex bonum: bonum naturale, id est, res conveniens ad conservationem naturae, seu nata ad bonum usum, ut cibus, potus, bona valetudo, opes, imperia. Sic appellatio boni continet res dubias. Altera significatio est bonum morale, quod est in actionibus conveniens naturae, iudicio mentis. Hoc modo
40 appellatio boni intellecta, tantum significat honestum, tale bonum sola virtus est. In sacris literis bonum tripliciter intelligitur. Primum pro eo, quod est conditum et ordinatum a Deo. Huiusmodi sunt omnia, quae vocantur bona naturae. Nam omnes creaturae destinatae sunt ad aliquem usum et conservationem naturae. Secundo, bonum significat ἀδιάφορον, id est, concessum lege Dei. Ita bonum intelligitur, cum inquit Paulus: Bonum est homini non
45 comedere carnem. Hic bonum opponitur prohibito. Tertio, bonum significat actiones virtutis, quas Deus praecipit, seu veros cultus Dei, et quidem praeceptos a Deo, ut apud Prophetam: Hoc est bonum ambulare coram Deo, et

timere Deum. Nolo autem prolixè refutare Stoicos, cum et sacrae literae, et communis sermo tribuant appellationem boni rebus utilibus. Imo ipsi Stoici addiderunt correctionem suo paradoxo, quia fatentur retinendam esse sententiam, quod utilia sint suo loco expetenda, ideo excogitarunt aliud vocabulum, videlicet προηγμένα, id est, praelata. Iam hic si quaeras, quare utilia sint praeferenda, tamen decurrendum erit ad causam: quia convenient naturae. Haec est autem definitio boni generaliter, quod sit res conveniens naturae. Retinenda est igitur Aristotelis divisio, qui bona vocat non modo virtutem, sed etiam res utiles et suaves, verum gradus facit. Bonum honestum vocat, quod propter sese expetendum est, estque sola virtus bonum honestum, seu morale, ut alias vocatur, et hic gradus habet summum locum. Oppositum est vitium seu turpitudine, quae vocatur malum in genere morum, sed malum culpae. Deinde bonum utile est res naturae conveniens ad corporis conservationem, quae est expetenda propter aliud, scilicet usus causa, ut bona valetudo, vita opes etc. Bonum suave est cognatum utili, significat enim id, quod ideo expetitur, quia affert sensui aut animo iucundos motus. Haec duo, scilicet utile et suave, vacantur ἀδιάφορα, quod attinet ad genus morum. Quamquam igitur non sunt bona moraliter, tamen sunt natura res bonae, ad usus aliquos expetendos natae. Oppositum est malum poenae, ut vulgo loquuntur, iuxta illud. Ego sum Deus faciens pacem et creans malum. Item: Non erit malum in civitate quod non faciat Dominus.

Haec usitata distinctio observanda est, quia et in philosophia morali, et in religione constitui oportet gradus, ut sciamus, quae res sint expetendae, et quo ordine, nec applaudendum est illis crudelibus opinionibus, quae fingunt utilia non esse expetenda, sicut Aristoteles sensit, et quidam alii, qui rerum delectum, ut Cicero loquitur, sustulerunt. Verum ordo retinendus est, ne utilia anteferantur virtuti....

Rectene Bonifacius VIII. constituit, quod iure divino Papa habeat utrumque gladium, hoc est et summam potestatem ecclesiasticam et summam potestatem, seu mandatum, seu ius conferendi regna et imperia mundi?

Utilis est quaestio de discrimine ecclesiasticae potestatis et civilium magistratuum. Aliter enim in moderatis ingeniis reverentia erga utramque potestatem, cum officiis recte descriptis et distinctis monstratur, quanta sit in utraque dignitas. Est autem haec reverentia in primis digna bono viro et virtus proprie ἠθικὴ. Prodest etiam in multis negotiis intelligere, quod sit proprium cuiusque potestatis officium. Est enim tyrannis confundere officia, sed suam quisque Spartam ornare debet. Et quia variae sunt de hoc discrimine disputationes, diligens explicatio multum habet eruditionis et bonae frugis.

Primum igitur sciendum est utramque potestatem, ecclesiasticam et civilem, donum et ordinationem Dei esse. Ideo honorifice de utraque sentiendum est, et gratiae Deo agenda sunt pro tantis beneficiis. Et quidem potestas ecclesiastica claro et expresso mandato ordinata et constituta est, cum Christus misit Apostolos in totum orbem, Matthaei ultimo: Euntes docete omnes gentes. Et cum semper fuerit Ecclesia a principio mundi, data promissione Deus semper constituit claro verbo potestatem ecclesiasticam. Ut cum

Abrahamae promissionem et ceremoniam tradidit, et iussit eum haec posteris suis commendare.

De civili potestate affirmat Paulus clarissime, quod sit ordinatio, quam Deus vere constituit et conservat, sicut et Daniel inquit: Deus transfert et
5 constituit regna. Cumque imperia sint opus Dei et bonae creaturae Dei, constat administrationem approbatam esse a Deo, et placere Deo. Sed illud hic quaeritur: An potestas civilis initio instituta sit expresso verbo Dei, an vero tantum postea approbata. Ego quidem sentio institutam esse expresso verbo Dei, cum ad Noë dictum est: Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur
10 sanguis illius, et additur: per hominem. Quare significat constituendum esse ordinem, ut per certos magistratus puniantur homicidae.

Et haec lex praecipua est, et reliquam totam politiam complectitur. Sed si cui in hoc loco aliud videtur, tamen concedet Deum vere esse auctorem imperiorum, et quia rationi naturali monstravit legem de ordine politico, et
15 impulit heroicas mentes ad constituenda imperia, sicut Psalmista inquit: Quidas salutem regibus. Et in lege claris testimoniis approbat ordinationes poenarum, ut Levitici vigesimo quarto. Et de lege minus fuit opus expresso mandato, quia est rationi nota. Sed de ecclesiastica potestate omnino fuit opus expresso mandato, quia Evangelium non est naturaliter notum rationi humanae.
20 Quamquam, ut paulo ante dixi, mihi verius videtur institutam esse potestatem civilem expressis verbis in eo loco, ubi sunt verba dicta ad Noë. Quare potestas politica, seu imperia, inde usque ab initio mundi, etiam apud ethnicos sunt ordinationes divinae.

Dixi de origine utriusque potestatis, nunc addam discrimina.

Potestas civilis est ordinatio, in qua superiores, videlicet magistratus, habent mandatum honestos mores in externa vitae consuetudine praecipienda, et coercendi homines, ac puniendi vi corporali, ut prohibeant iniustam violentiam, et puniant delicta, et defendant publicam pacem. Prudenter autem considerandum est, quod haec definitio tribuit magistratibus non solum defensionem
25 pacis, sed etiam mandatum disciplinae conservandae, seu conservandi honestos mores. Nam finis pacis esse debet, ut sit otium, non ad perfruendas voluptates, sed ad educationem et institutionem sobolis, ad docendam religionem, ad mores hominum formandos. Sicut Paulus gravissime docet, cum iubet orare pro potestatibus, ut possimus tranquillam vitam agere in pietate et honestate, id
30 est finis administrationum non tantum debet esse pax, sed ut in pace conserventur disciplina, honesti mores et religio. Itaque ut officium civilis magistratus recte intelligamus, cogitemus magistratus esse defensores legis, sicut confert Cicero magistratum et legem, cum ait: Magistratum esse vivam legem. Et Aristoteles: ἄρχων φύλαξ τῶν νόμων. Non igitur tantum unius atque
40 alterius praeepti custos est magistratus, sed totius legis, id est utriusque tabulae, quod attinet ad externam disciplinam.

Primum autem hic circumscribenda est potestas magistratuum, quod scilicet non habeant auctoritatem praecipienda aliquid contra ius naturae, contra mandata Dei, contra leges sui regni. Quare non est infinita potestas magistratuum, sed inclusa certis limitibus. Nam magistratus sustinet procuracionem ab alio, scilicet a Deo mandatam. Non igitur debet a mandatis Dei
45

discedere. Sicut et optimus rex Iosaphat concionatur: Non hominis exercetis iudicium, sed Dei: Quidquid iudicabitis, in vos redundabit, sit timor Dei vobiscum. Infra autem in aliis quaestionibus latius dicemus, quomodo sit circumscripta potestas legibus naturalibus, divinis et positivis.

5 Secundo, cum magistratus civilis sit custos etiam primae tabulae, quod ad
externam disciplinam attinet, debet magistratus prohibere et punire blasphemias,
idololatriam et falsa dogmata, et curare, ut vera et pia doctrina propagetur, et
defendere recta docentes. Hanc sententiam primum confirmat praeceptum deca-
logi secundum. Omnes magistratus debent et ipsi obtemperare secundo praecepto
10 decalogi et eius custodes esse. Secundum praeceptum prohibet et punit blas-
phemias et falsa dogmata. Ergo omnes magistratus debent prohibere et punire
blasphemias. Secunda ratio sumpta est ex praecipuo fine magistratum. Finis
societatis humanae praecipuus est, ut homines alii alios de Deo docere possint,
ut notitia Dei propagetur. Magistratus est praecipuus custos societatis: ergo
15 debet etiam custos esse istius finis, scilicet ut notitia Dei recte propagetur.
Consequentia valet ex regula: Propter quod unumquodque tale, et illud magis
tale. Magistratus custodit societatem propter notitiam Dei: ergo magis debet
custodire notitiam Dei, quantum ad suum officium pertinet. Haec ratio plena est
eruditionis. Monet enim de duabus rebus maxime dignis consideratione, videlicet
20 quae sit causa praecipua, quare ad societatem conditi sint homines. Item magis-
tratum debere intentum esse in illum finem praecipuum, ut notitiam Dei conser-
vet in terris. Quod si ad hanc imaginem conferamus reges et principes, invenie-
mus paucissimos, qui hunc finem prospexerint, et ad eum contenderint.

Plurimi summa vi contrarium fecerunt, qui omni scelere contaminaverunt,
25 et delere conati sunt religionem, quasi ad hoc ipsum essent consecuti regna, ut
bella cum Deo gererent, sicut in fabulis Gygantes.

Tertia ratio sumpta est ab exemplis. Sancti reges Iuda aboleverunt im-
pios cultus, ac propterea laudantur et ornantur magnis praemiis, et Deus inquit:
Glorificantes me glorificabo. Et lex in Deuteronomio, praecipit, ut reges teneant
30 in manu librum legis, et conservent religionem a Deo traditam.

Haec exempla, quia pertinent ad decalogum, etiam nostri magistratus pro
sua vocatione imitari debent. Item Nabuchodonosor et Darius proponunt edicta:
Ne quis dicat blasphemiam adversus Deum Israelitarum. Sed hic nonnulli multa
obiiciunt. Primum: Fides est in mente, magistratus non potest mentes mutare:
35 ergo magistratus non debet errores mentis punire. Respondeo ad conclusionem.
Non punit errores solius mentis, sed externam professionem et blasphemiam.
Quia magistratus debet externam disciplinam et *παίδευσίν* tueri, non debet
permittere, ut imperitis proponantur scandala, quibus decepti ruant in errores.

Secundo obiicitur: Magistratus non potest iudicare, nisi de iis rebus, de
40 quibus habet leges, magistratus habet tantum leges de negotiis profanis: ergo
non potest iudicare de controversiis religionis.

Primum neganda est minor: nam magistratus habet legem, ut puniat
blasphemias, sicut omnium gentium leges puniunt periuria. Sed quia non semper
constat, quae opiniones sint blasphemae seu impiae, ideo debet praecedere aliud
45 iudicium, videlicet cognitio de doctrina. Haec autem pertinet non solum ad

magistratum, sed ad Ecclesiam, hoc est, non tantum ad presbyteros, sed etiam ad laicos idoneos ad iudicandum, sicut Paulus inquit: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior, et Christus vult summum esse iudicium Ecclesiae, cum ait: Dic Ecclesiae. Huc pertinet Constantini exemplum, qui cum synodum haberet, inter-
5 fuit ipse disputationi, et postea sententiae subscripsit, et in publicis litteris inquit se pariter fuisse ministrum, donec examinaretur tota controversia; et Marcianus imperator, qui habuit synodum Chalcedonensem, ait se exemplo Constantini affuturum in synodo, ut patefacta veritate curet deinceps populo unam certam sententiam proponi, et prohibeat pravas opiniones.

10 Et Nicolaus papa inquit *Distinct. 96.* Fidei causas communes esse, et non tantum ad clericos, sed etiam ad laicos pertinere.

Et Alexander II. adhibuit magistratus provinciales ad deliberationem in synodo de gradibus cognationum. Postremo historiae commemorant plerosque principes et reges interfuisse synodis. Nec vero quisquam negat principes ad-
15 hibendos esse ad deliberationem in synodis. Sed illud vocant in quaestionem aliqui, an reges etiam habeant suffragationem, seu ut ipsi loquuntur, vocem decisivam. Sed non debet eis adimi suffragatio, si quidem synodi sunt iudicia Ecclesiae, ut supra dictum est. Sunt enim et ipsi membra Ecclesiae, et cum errant episcopi, laici habent mandatum, ut ab eis dissentiant, iusta illud:
20 Cavete a pseudoprophetis. Item: Si quis aliud Evangelium tradet, anathema sit. Hoc mandatum pariter ad omnes pertinet, ut pro suo loco de doctrina ex verbo Dei iudicent. Et Petrus iubet omnes paratos esse ad reddendam rationem fidei suae etc. Quare reges debent interponere auctoritatem suam, ubi periculum est, secus pronuntiaturos esse episcopos. Et Augustinus scribit epist.
25 166. Constantinum principio bis commisisse causam Caeciliani episcopis, postea ipsum audivisse ac pronuntiasse, et multis verbis disputat ad pios principes haec iudicia doctrinae etiam pertinere. Neque enim in Ecclesia haec tyrannis constituenda est, quod oporteat laicos assentiri, et applaudere omnibus sine delectu, quae decreverint episcopi. Nec debet esse δημοκρατία,
30 qua promiscue concedatur omnibus licentia vociferandi et movendi dogmata, sed ἀριστοκρατία sit, in qua ordine hi, qui praesunt, episcopi et reges, communicent consilia, et eligant homines ad iudicandum idoneos. Ex his satis intelligi potest, cognitionem de doctrina pertinere ad Ecclesiam, id est, ad presbyteros et principes, sed principes re cognita et iudicata, iam custodes
35 esse externae disciplinae, et executores sententiae synodi, ut videlicet idololatricos cultus, blasphemias et impia dogmata prohibeant, et professores puniant.

Aliud argumentum. Magistratus tantum est defensor corporum: dogmata non pertinent ad corpus: ergo dogmatum prohibitio non pertinet ad
40 magistratum. Responsio. Neganda est maior, et ratio est. Quamquam enim conservatio corporis pertinet etiam ad officium magistratum, quia est pars legis, tamen non est finis principalis magistratum, sed conservatio legis, quod ad externam disciplinam attinet, est principalis finis magistratum. Nam magistratus est velut ipsa lex. Porro lex non tantum praecipit de defensione
45 corporis aut rerum, sed praecipit primum de gloria Dei et disciplina. Sicut inquit Paulus: Lex est posita, ut coerceat iniustos, blasphemos. Denique error illorum, qui nolunt a magistratu curari dogmata, omnino ex illo fonte natus est, quod fingitur magistratus velut Epicureus tantum habere mandatum

defendendi corporis. Sed quod ea imaginatio sit falsa, facile iudicari potest, si quis magistratum et legem pares esse cogitet, et magistratus finem esse principalem conservationem legis etc.

5 Debet igitur magistratus, qui gladium gerit, prohibere etiam haereses, hoc est impia dogmata, et punire haereticos, hoc est, impiorum dogmatum auctores. Sed in rebus obscuris praecedat Ecclesiae cognitio. Atque ita proprie magistratus servit gloriae Dei, et fit eius functio cultus Dei, cum studet tueri, propagare et ornare veram doctrinam, et e contra prohibere impia dogmata. Quia ita facit principale officium, quod proprie ad gloriam Dei pertinet, et quod proprie mere-
10 tur illum titulum, quo ornantur magistratus, in Psalmo: Ego dixi: Dii estis, scilicet quia et officium habent divinitus constitutum, et impertiri hominibus debent res divinas, religionem, iustitiam, disciplinam, pacem etc. Et ob hanc causam vocantur ab Esaia nutritii Ecclesiae, quia nutrire et tueri debent pios doctores, et non debent saevitiam exercere in Christianos.

15 Sunt aliae quaestiones de potestate civili, quarum aliquas deinceps tractabimus, scilicet de legibus, quod leges contrariae divinis aut naturalibus non sint observandae. Item quod magistratui non liceat pronuntiare contra leges suae reipublicae; sed de his quaestionibus paulo post dicemus. Nunc redeo ad potestatem ecclesiasticam, quae est mandatum divinum docendi Evangelii, ad-
20 ministrandi sacramenta, ordinandi ministros Evangelii, annuntiandi remissionem peccatorum singulis aut multis, constituendi iudicia dogmatum. Et eos, qui in delictis manifestis versantur, excommunicandi verbo sine vi corporali. Multae sunt partes huius definitionis, quae alibi latius explicari solent. Hic igitur breviter respondeo de Bonifacii constitutione, quod iure divino non habent
25 Apostoli aut eorum successores gladium, hoc est ius coercendi vi corporali. Quare neque ius habent occupandi, neque conferendi regna mundi.

Multa possunt ex Evangelio testimonia colligi. Christus inquit: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic. Discernit enim duas potestates. Regibus concedit, ut dominantur,
30 Apostolis non concedit, ut dominantur hoc est, ut vi corporali utantur praetextu ministerii. Et Paulus inquit: Arma militiae nostrae non sunt carnalia. Sed addam unam Chrysostomi sententiam, qui in secunda oratione de dignitate sacerdotum clare discernit magistratus profanos et episcopos, et magistratibus profanis tribuit ius coercendi vi corporali: episcopos autem negat habere potestatem
35 coercendi vi corporali. Ceterum, ut aliis Christianis, ita et episcopis, seu pastoribus Ecclesiarum licet tenere proprium, divitias et alias donationes, quia hae sunt res politicae concessae Christianis. Ita licet episcopis tenere donatam iurisdictionem in bonis certis, quae est res civilis, nihil pertinens ad proprium episcopi officium, sicut ars texendi in Paulo nihil pertinebat ad munus apostoli.
40 Et tamen Paulus poterat esse et apostolus et textor. Sed viderint episcopi, ne propter opes abducantur ab officio docendae et gubernandae Ecclesiae et inspiciendae doctrinae illorum, quibus praesunt.

Imperator mandaverat Ambrosio, ut cederet templum Arianis, sed Ambrosius non obtemperat. Non enim licuit obsequi impia mandanti, et imperator
45 neque legitimam ordinationem ex Ecclesia tollere debuit, neque impium doctorem praeficere Ecclesiae. Erat enim Ambrosius legitime ordinatus, et recte docebat. Continet autem legitima ordinatio vocationem seu electionem, quaesit

a populo vel iis, quibus populus eam rem committit et approbationem aliquorum episcoporum.

Praeterea ad episcopos pertinet constituere iudicia de doctrina et convocare synodos, sicut vetus constitutio fuit, ut singuli episcopi bis haberent
5 synodos suarum Ecclesiarum quotannis. Et Apostoli synodum habuerunt. Et cum Paulus Samosatenus sereret impium dogma, convenerunt Antiochiam vicini episcopi, et adhibita Ecclesia Antiochena damnaverunt episcopum. Sed, ut supra dictum est in controversiis de doctrina non debent soli episcopi iudicare, sed eligendi sunt homines idonei ex toto corpore Ecclesiae, quia sum-
10 mum iudicium debet esse Ecclesiae, hoc est non tantum episcoporum. Itaque propter hanc ipsam causam, quia maior est auctoritas Ecclesiae, cum episcopi non faciunt suum officium, debent imperatores et reges convocare synodos, sicut et Constantinus indixit aliquas synodos, et quidem mandat, ut iis, qui no-
lint venire in synodum, adimantur episcopatus.

15 Dixi de discrimine utriusque potestatis. Prodest enim et doctoribus Ecclesiarum retinere eos, ne usurpent officia potestatis gladii. Et rursus profani magistratus discant vereri ecclesiasticam potestatem, nec invadant in officia potestatis ecclesiasticae, sicut Petrus prohibet, ne simus ἄλλοτρι-
20 επίσκοποι, id est ne irruamus in aliena officia. Quare imperator Valentinianus cum magna pietate inquit: Talem esse episcopum eligendum, cui ipse imperator submittere caput non revereatur. Et quidem in electione non eripit ius Ecclesiae, sed iubet, ut ipsi eligant etc. Et quamquam distinximus potestates, tamen animadverti potest, quod potestas civilis servire debeat Ecclesiae propter disciplinam, sicut quilibet paterfamilias minister et executor est Ec-
25 clesiae in sua familia. Omnes enim debemus oboedire ministerio verbi, sic magistratus in republica minister et executor est Ecclesiae. Debet enim et ipse oboedire ministerio verbi, et id venerari tamquam divinum, iuxta illud: Aperite portas principes vestras.

The following selections are from the Comentarii, from Operum Reverendi et Clavissimi Theologici, D. Iovnis Brentii, Tomus Secundus, Tuebingen, 1576.

5

IN JOSUAM COMMENTARIUS

CAPUT XX

Separate Vrbes Fugitiuorum, &c.

Occupata terra, ordinantur ciuitates refugii, in Exod. cap. 21. In Num. enim cap. 35. & Deuteronomio, cap. 19. praecipitur diuinitus, ut tres ciuitates
 10 Refugii pro fortuitis homicidiis citra Iordanem, & tres vltra Iordanem separentur. Hoc nunc quarto exigit Deus, ut instituat, &c. Vides seueritatem Dei in constituendis ciuitatibus Refugii. Obseruandum igitur est, quod hae ciuitates non instituantur pro nocentibus, sed tantum pro innocentibus, & fortuitis homicidiis, idque donec causa cognoscatur. Nam qui vere sunt nocentes, etiam ab
 15 altari auelluntur, Exod. 21. Deus enim magno odio prosequitur homicidas, & effusionem sanguinis. Gen. 9. Sanguinem animarum uestrarum requiram de manibus etiam bestiarum. Ad imaginem Dei factus est homo, & c. Et: Sanguis innocens vociferatur de terra pro vindicta, Gen. 4. Deinde obserua hoc loco, quod homicidium non definiatur facto, sed animo. Qui enim alterum
 20 interfecit fortuito casu, vt si in sylua caedit ligna, & bipennis elabitur e manubrio, iudicatur innocens. Aut si tegula de tecto deciderit, &c. Sed de causa cognoscendum est, num sit casu fortuito factum? num vim vi repulerit? Ex hac ordinatione iudicandum erit etiam de nostris ordinationibus. Nam aliquot ciuitates & templa sunt publice ordinata, vt qui ad ea confugerit, sit tutus. Hac sunt
 25 ciuiles ordinationes, & non sunt temere violandae, quia, iuxta Paulum, sunt ordinationes Dei.

Caeterum haec ordinatio non tantum pertinet ad politeiam, sed etiam ad Ecclesiam: primum quia ordinatur, vt homicida non egrediatur de loco exilii, vsque ad mortem summi Pontificis. Quid hoc? Vides legem Mosaicam semper
 30 respicere, etiam in Politicis, ad Ecclesiam, & ad Christum. Aliae leges, vt Romanae, Solonis, Lycurgi, respiciunt tantum ad politica: lex autem Mosis respicit etiam, ac praecipue ad Religionem, vt significet, regna politica propter Religionem instituta esse, sicut & Oeconomia. Mors igitur Pontificis, est mors Christi, qua omnes peccatores liberantur ab exilio. Peccatum enim
 35 eiecit nos in exilium: sed mors Pontificis (hoc est) Christi restituit nos in patriam. Admonemur etiam hac ceremonia, vt quaeramus ciuitatem Refugii, in qua vere tuti simus. Nam etiamsi homicida tutus est in aliqua harum ciuitatum, a consanguineo interfecti, peccator tamen non fuit tutus in ea, ab incursu Sathanae. Quaeramus ergo ciuitatem, in qua vere tuti simus. Hactenus homicidae confugerunt ad Ecclesias, seu ad templa. Haec habent tantum priuilegii,
 40 quantum publica iura concedunt. Attamen recte dictum est, quod in incursu Sathanae, & in designatis homicidiis seu aliis peccatis, confugiendum sit ad Ecclesiam, hoc est, ad coetum credentium in Christum. In aliis enim locis, inter Iudaeos, inter Turcas, inter impoenitentes, inter incredulos nemo est
 45 tutus, nec a peccato, nec a Sathana. In sola autem Ecclesia Christi tuti sumus,

quia in sola Ecclesia est remissio peccatorum: in sola Ecclesia victus est Sathan, victa est mors: quia in sola Ecclesia agnoscitur Christus, in quo habemus omnium peccatorum remissionem.

SAMUELIS LIBER PRIOR

5

Homiliae in Cap. VIII

Cum filii Samuelis, ad functionem Iudiciariam, a parente suo ordinati erant, non vt generi, ita pietati patris successerunt. Non enim ambulauerunt in viis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Nam haec plerunque piorum parentum sors est, vt
10 habeant filios impios, id quod etiam in Eli obseruauimus: & sapientum, vt habeant filios stultos, & insipientes: Pauci, inquit ille (i. e. Homerus), filii patri similes sunt. Et multi quidem sunt peiores, pauci autem patre meliores. Quod fortassis hoc consilio Dominus Deus noster fieri fert, vt manifesta experientia comprobetur, nec pietatem, nec sapientiam, haereditariam, sed
15 gratuita Dei dona & beneficia esse. Itaque, quemadmodum benedictio Domini est, habere liberos, ita benedictio Domini est, habere liberos pios ac prudentes. Ergone parum retulerit, quomodo liberos ab ineunte aetate instituas, siquidem in manu Domini, non in manu parentum situm est, vt liberi pii & sapientes efficiantur? Absit, vt existimes, ociosam & infrugiferam esse pueritiae, &
20 iuuentutis institutionem. Etsi enim, pietas & sapientia, donum Dei sint, requirit tamen Deus, vt parentes vocationi suae seruiant. Parentum autem vocatio est, educare liberos per eruditionem & correptionem Domini. An, quia fructus terrae, benedictio Dei sunt, non est plantandum, non arandum, non seminandum, non rigandum? imo, quia benedictione Domini nobis fructus obueniunt, ideo
25 obsequendum est diuinae ordinationi, qua constitutum est, vt plantetur, & seminetur. Ita, quoniam pietas & sapientia liberorum, beneficia Dei sunt, parentibus omni diligentia conandum est, vt mandatis Dei, iubentis, liberos in pietate erudire, obsequium praestent, ne inobedientia sua Deum ad indignationem prouocent, & beneficio Dei, in liberis suis destituantur. Quod si fructus la-
30 bori non respondeat, & post longam ac laboriosam pietatis institutionem, filii impii euadant, illi quidem sua ipsorum impietate, nihil resipiscant, peribunt, parens autem, quia Domino obediuit, animam suam, quemadmodum Propheta ait, liberauit, & iniquitatem filii non portabit, suoquo exemplo edoctus, agnoscet, quid illud sit, quod Paulus ad Corinthios scribens, dicit: Neque qui
35 plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus.

Homiliae in Cap. XVI

Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuel. Et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. Audis, omnes illos a Deo abiici, quos duo seniculi (quorum Isai senatoria dignitate venerandus, & Samuel prophetica
40 sanctitate conspicuus erat) tanquam a Domino electos & Imperio dignos, ab initio indicabant. Quod autem hic agitur, in electione regis Israelitici, hoc idem agi solet, in electione regum coelestium, hoc est, membrorum Ecclesiae. Hi enim ab Ecclesia longissime abesse solent, qui videntur coram mundo esse Ecclesiae columnae. Filii enim Dei, qui sunt membra Ecclesiae,
45 diuina tantum electione constant: Non omnes, inquit Paulus, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque quia sunt semen Abrahae, statim omnes filii: sed

per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui sunt filii promissionis, recensentur in semen. Vnde, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est de Esau & Iacob: Maior seruiet minori. Electio autem Dei constat tantum
5 gratuita Dei misericordia: Miserebor, inquit, cuiuscunque misereor, & commiserabor, quemcunque commiseror. Vbi autem est gratuita misericordia Dei, ibi nullus est respectus, vel carnalis propagationis, vel operum, aut meritorum, vel alicuius dignitatis ac virtutis. Igitur, qui propter opera & merita ac dignitates suas, maxime videntur coram mundo, quod sint electi
10 Dei, hi fere minime solent esse electi. Esau videbatur esse de Ecclesia, Iacob autem minime. Sed scriptum est: Iacob dilexi, Esau vero odio habui. Tempore Eliae, videbantur sacerdotes Baal esse Ecclesia: sed alia erat Ecclesia, nec ipsi Eliae cognita. Tempore Christi & Apostolorum, videbantur Pontifices & Pharisei, Ecclesia: sed hi nihil minus erant, quam Ecclesia. Proinde, vt
15 nemo suis meritis aut dignitatibus confidere debet: ita nemo ob suam humilitatem, indignitatem, & abiectiorem, animum suum despondeat, quin potius gratuita quisque misericordia Dei confidat, & credat eo potissimum nomine se a Deo respici, quod Deus nullum habeat respectum humanarum dignitatum ac virtutum, sed tantum clementiae & misericordiae suae, quam declarauit in
20 Iesu Christo Domino nostro, qui est vna cum Patre & Spiritu sancto, Deus Laudandus in secula, Amen.

MARTIN CHEMNITZ (1522-1586)

5 The following selections are from the Examen Concilii Tridentini, edited by Ed. Preuss, Berlin, 1861, pp. 144-168, passim. (Everything until the Examen on p. 92 is quoted from the Canons and Decrees of the Council of Trent.)

LOCUS VIII. DE JUSTIFICATIONE.

EX DECRETO SEXTAE SESSIONIS TRIDENTINI CONCILII.

DE DISPENSATIONE ET MINISTERIO ADVENTUS CHRISTI.

10 Quo factum est, ut coelestis pater, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Jesum filium suum, et ante legem, et legis tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judaeos, qui sub lege erant redimeret: et gentes quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum justificantur.

20 Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti: cum ea propagatione per ipsam dum concipiuntur propriam injustitiam contrahant, ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justii fiunt, illis attribuat. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio justificationis impii, et modus ejus in statu gratiae.

30 Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum Salvatorem nostrum. Quae quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Modus praeparationis.

40 Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adiuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo

Jesu, et tamen peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur
5 adversus peccata, per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, denique proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. Et Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et:
10 Timor Domini expellit peccatum. Et: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. Denique praeparate corda vestra
15 Domino.

Quid sit justificatio impii, et quae ejus causae

Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex in-
20 justo fit justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis causae sunt: finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna: efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae: meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Jesus
25 Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam justificatio contingit: demum unica formalis causa est, justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos
30 justos facit, quia videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justii nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis
35 Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem et charitatem.
40 Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur fidem sine operibus mortuam et otiosam esse, et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium, sed fidem quae charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione
45 catechumeni ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem vitam aeternam praestantem, quam sine spe et charitate fides praestare non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva manda. Itaque veram et Christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam

et immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam aeternam,

Quomodo intelligatur, impium per fidem et gratis justificari

5 Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis, ea
verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae con-
sensus tenuit et expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia
fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis,
sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium per-
venire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum quae justifi-
10 cationem praecedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam
promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin (ut idem Apos-
tolus inquit) gratia non est gratia.

De acceptae justificationis incremento.

15 Si ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in
virtutem renovantur (ut Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando
membra carnis suae, et exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem, per
observationem mandatorum Dei et Ecclesiae: In ipsa justitia, per Christi
gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis jus-
tificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum:
20 Ne verearis usque ad mortem justificari: Et rursus: Videtis, quoniam ex
operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero justitiae incre-
mentum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei et
charitatis augmentum.

CANON IX.

25 Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud
requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex
parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, ana-
thema sit.

CANON X.

30 Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit
justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.

CANON XI.

35 Si quis dixerit, hominem justificari, vel sola imputatione justitiae
Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia et charitate, quae in
cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut
etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

CANON XII.

40 Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae
misericordiae, peccata remittentis propter Christum vel eam fiduciam solam
esse, qua justificamur, anathema sit.

CANON XXIV.

Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptae, non etiam ipsius augendae causam, anathema sit.

* * * * *

5

EXAMEN.

Hic locus est praecipuus in doctrina Christiana. Anxiae enim et perterrefactae mentes, quae cum peccato et ira Dei luctantur, unicum hunc portum quaerunt, quomodo Deum possint habere placatum et propitium. Et fides in tentatione de unica hac consolatione solícite circumspicit, quid debeat apprehendere, quo niti: ne justo Dei judicio ob peccata damnetur, sed ut ira Dei placata, miser peccator in gratiam recipiatur, et acceptetur ad vitam. Finis enim fidei, est vita aeterna. I. Pet. I. Ibi vero unicus locus justificationis recte explicatus, et ita intellectus, sicut in doctrina Evangelii patefactus est, affert necessariam et uberrimam consolationem piis conscientiis, illustrat et amplificat gloriam filii Dei, redemptoris et mediatoris nostri. Contra vero si locus hic peregrinis opinionibus adulteretur, obscurat gloriam et beneficia Christi, et eripit afflictis conscientiis necessarias consolationes, quae in Christo nobis propositae sunt. Nondum autem plane intermortua est memoria, qualis fuerit sub Papatu carnificina conscientiarum, luctantium in tentatione cum peccato et ira Dei, et anxie quaerentium firmam et certam aliquam consolationem, dum praeterito Christo, qui unus ad omnem justitiam nobis sufficit, jam ad sanctitatem operum debitorum, jam ad proprias satisfactiones operum indebitorum, jam ad supererogationes, mox ad superflua merita ordinum, ad varias fraternitates, ad patrocinia sanctorum, ad peregrinationes, ad nundinationes indulgentiarum, et quo non miseras conscientias abduxerunt, et circumegerunt. Et tandem peractis illis omnibus, in tristissima dubitatione illas reliquerunt proposita (si dis placet) consolatione ignis purgatorii. Pighius etiam quantumvis nobis iniquus et acerbus, tamen de articulo justificationis inquit: Disimulare non possumus, a nostris hanc vel primam doctrinae Christianae partem, obscuratam quam illustratam magis, a Scholasticis spinosis plerisque quaestionibus et definitionibus. Et tales exstant multorum querelae inter ipsos Pontificios etiam. Jam vero in Concilio Tridentino, gravissima haec quaestio in deliberationem deducta fuit, et quidem sicut ipsi narrant, per 7. menses agitata. Et quis non speraret, cum doctrina haec ex multis manifestissimis Scripturae testimoniis, hoc tempore clarissime sit illustrata, fore ut desertis philosophicis Scholasticorum lacunis ad fontes Propheticos et Apostolicos, si non omnino, propius saltem accederent, praesertim cum per tot menses res fuerit deliberata. Sed eum tandem exitum habuit longa illa deliberatio, crebri illi congressus, et multae illae disputationes in Concilio, de articulo justificationis, quod profusa anathematum liberalitate, damnata est ea, quae est omnium Prophetarum et Apostolorum sententia: quod homo justificetur, hoc est, in gratiam recipiatur et acceptetur ad vitam aeternam, sola imputatione justitiae Christi, vel sola remissione peccatorum, fide apprehendente misericordiam Dei, peccata remittentis propter Christum.

Tota vero lerna et colluvies Scholasticorum opinionum de inhaerentibus novis justitiae qualitatibus, propter quas homo reddatur, et sit Deo gratus, et ad vitam aeternam acceptus per bona sua opera, ex novis illis qualitatibus prodeuntia, Ecclesiae rursus obtruditur, quasi doctrina ab ipso filio Dei, sole justitiae tradita, et quidem addita districta inhibitione, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere. Infelicem ergo Ecclesiam, cui per Tridentinum Concilium non licebit credere, praedicare vel docere illam beatitudinem hominis, testimonio Moysis, Davidis, et omnium Prophetarum confirmatam: cui Deus imputat justitiam sine operibus, juxta dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates, Rom. 4. Sed dicat quis: Si propositum Patrum concilii hoc fuit, ut tantum repeterent condemnationes doctrinae nostrarum Ecclesiarum, et significarent, se nullam ex verbo Dei reformationem doctrinae suae, qualis ea cunque est, admittere aut velle aut posse, potuissent rem brevibus expedire, nec opus fuisset per tot menses continuatis deliberationibus. Et alii quidem suspicantur, hoc pro forma (quod dicitur) factum esse, ut species aliqua praetendi posset non ex praeconceptis opinionibus, sed habita diuturna, gravi et matura deliberatione, ex scripturae fundamentis condita esse illa de justificatione decreta. Ego vero ex ipsis decretis, praecipue vero ex Andradio meo colligo, causas tam sollicitae et diuturnae deliberationis per tot menses, duas praecipue fuisse. Primo. Quia testimoniorum scripturae (quae tradunt nos non propter nostras qualitates et virtutes, sed gratuita imputatione justitiae, obedientiae et meriti Christi, coram judicio Dei justificari, hoc est a peccatis absolvi, et acceptari ad vitam aeternam) lux tanta est, quae parvulos illuminat, pios confirmat, et adversariorum etiam oculos vel invitos, sua charitate perstringit: quaerenda fuerunt artificia, quibus luxilla, objecta aliqua nebula et caligine, posset obscurari ne tanta claritate in oculos hominum incurreret. Et quia specie aliqua illud fieri debebat, non unius itaque mensis deliberatione negotium hoc confici potuit. Secundo, Scholastici nimium crasse philosophantur, de homine faciente quod in se est, de merito congrui, de gratia gratum faciente, de merito condigni. Et de justificatione sine Scriptura non aliter disputant, ac si in Aristotelis schola, de Physicis moribus philosopharentur. Quia vero sententiam illam Scholasticorum, Concilium retinere voluit (vidit autem homines lectione Scripturae, vel invito toto Antichristi regno, tantum jam profecisse, quod a prophanis illis disputationibus et vocibus abhorrent, et ad Scripturam omnia revocari volunt) magni igitur laboris, et diuturnae deliberationis res fuit, excogitare, quomodo Philosophica de justificatione opinio, Scripturarum vocibus quibusdam ita posset circumvestiri, ne a quovis statim agnosceretur, sed aliquo modo posset hujus temporis lucem ferre.

Haec principaliter acta fuisse, in illa tot mensium tractatione, et decreta ipsa, praecipue vero Andradii explicationes luculenter testificantur, sicut ostendemus.

SECTIO I. ARTICULUS I.

VERUS STATUS LOCI DE JUSTIFICATIONE.

Prius autem de Sophistica illa dicendum est, qua verum disputationis κρινόμενον astute occultant, et odiose sententiam nostram praegravant. Certum est utrumque esse beneficium filii Dei Mediatoris, et remissionem

peccatorum et renovationem, in qua spiritus sanctus in credentibus accendit
novas virtutes. Christus enim sua passione meruit nobis non tantum remis-
sionem peccatorum, verum etiam hoc, quod propter ipsius meritum datur nobis
Spiritus Sanctus, ut renovemur spiritu mentis nostrae. Haec beneficia filii Dei,
5 dicimus quidem esse conjuncta, ita ut quando reconciliamur, simul etiam detur
Spiritus renovationis. Sed propterea non confundimus illa, sed distinguimus,
ita ut cuique suum locum, ordinem, et suam proprietatem tribuamus, sicut ex
Scriptura didicimus, ut scilicet reconciliatio seu remissio peccatorum, praece-
dat et postea sequatur inchoatio dilectionis seu novae obedientiae. Praecipue
10 vero, ut fides statuatur se habere placatum Deum, et remissionem peccatorum,
non propter sequentem et inchoatam novitatem, sed propter mediatorem filium
Dei.

Inde vero Pontificii texunt calumniam, quasi beneficia filii Dei divellamus
et mutilemus. Omnia enim decreta Tridentia de justificatione ita condita sunt,
15 ut oblique nos insimulent, quasi doceamus, credentes tantum habere remissionem
peccatorum, non vero etiam renovari per Spiritum sanctum: item Christum
meruisse nobis tantum, reconciliationem, et non simul etiam renovationem:
quasi renovationem, charitatem seu novam obedientiam ita excludamus, ut nec
adsit, nec sequatur in reconciliatis: quasi in renatis unica tantum virtus fidei
20 adesse debeat, reliquarum praesentia aut consequentia simpliciter exclusa. Sed
tantum impudentes et sycophanticae sunt calumniae quibus strepitum excitant,
ne homines imperiti animadvertant, qua de re controvertatur. Saepius enim a
nostris repetitum est, plane et clare nos docere, oportere in renatis existere
notitiam articulorum fidei, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilec-
25 tionem, et debere sequi bona opera. Expresse etiam damnamus Simonis Magi
blasphemiam, qui finxit, hominibus gratis fide salvatis liberum esse, ut agant
quaecumque velint. Salutem enim contumeliose definiebat, esse liberationem ab
illa servitute, qua homines ad bonas actiones ex mandato Dei obligantur, nec
permittuntur agere quae velint. Hi sunt acerbi, et vere diabolici sarcasmi,
30 quibus Apostolorum doctrinam de gratuita justitia fidei, et de libertate Chris-
tiana, Satan ludificare voluit, et eam invisam reddere bonis mentibus. Serio
etiam abhorremus a Basilidis blasphemiam, qui finxit ita nos sola gratia fide
salvari, ut omnes qualescunque actiones, et quidem universa libido indifferenter
usurpari possit.

35 Improbamus etiam Gnosticos, qui dixerunt se salvari ex sola cognitione,
et propter fidei excellentiam adeo spirituales fieri, ut non possit gratis excidere,
quicquid etiam perpetrent. Improbamus et illud quod Augustinus haeresi 54,
dicit, Aetium et Eunomium usque adeo fuisse bonis moribus inimicos, ut as-
severarint, quod nihil cuiquam obsesset, quorumlibet perpetratio et perseverantia
40 peccatorum, si modo hujus quae ab ipso docebatur, fidei particeps esset.

Haec repetere hoc loco volui, ut boni viri ubicunque sunt, intelligant, in-
juste nostras Ecclesias hisce calumniis deformari, quasi alterum beneficium
Filii Dei, renovationem scilicet spiritus abjiciamus: et doctrinam de poeni-
tentia, de charitate, de nova obedientia et bonis operibus simpliciter excludamus
45 a nostris Ecclesiis: Necessarium etiam fuit, hanc explicationem praemittere,
ut verum hujus controversiae ἀπινύμενον, quod insidiosae et magno studio a
Tridentinis occultatur, plane et clare constitui posset. Nequaquam enim hic
est status: an credentes, postquam remissionem peccatorum fide propter

Christum acceperunt, etiam renouentur spiritu mentis suae: nec quaestio est, an renovatio etiam pertineat ad beneficia Christi: neque haec est controversia, an oporteat existere in homine poenitentiam, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, et sequi bona opera: haec enim omnia plane et clare
5 confitemur, docemus, et sedulo urgemus in nostris Ecclesiis. Et haec cum ita se habcant, lector ipse secum reputet, quale sit artificium, in hac tam gravi controversia, sophisticis cavillationibus ludere, et statum controversiae occultare.

Sed dicat quis: Si haec ita se habent, quid igitur est, de quo tam acriter
10 ad totius ferme orbis tumultum, de articulo justificationis contenditis? Certe sicut vos renovationem non negatis, nec charitatem simpliciter abjicitis: ita Pontificii remissionem peccatorum non negat, sed confitentur. Et si de rebus
15 ipsis consensio est, erunt igitur tantum λογομαχίαι, hoc est verbales contentiones, seu bellum grammaticale. Pontificii enim verbum justificare, intelligunt juxta morem Latinae compositionis, pro justum facere, donato vel
20 infuso habitu justitiae inhaerentis, unde prodeant opera justitiae. Lutherani vero Hebraica phrasi verbum justificare accipiunt: ideo justificationem definiunt absolutionem a peccatis, seu remissionem peccatorum, imputatione
25 justitiae Christi, adoptione et haereditate vitae aeternae, idque tantum propter Christum, fide apprehensum. Et tamen simul docent sequi renovationem inchoandam esse dilectionem, et bona opera. Non ergo de rebus ipsis, sed tantum de vocabulo justificationis certamen erit, quod inde oritur, quia alius aliter verbum illud intelligit et interpretatur. Et certe in Ecclesia non decet, quando res ipsae salvae sunt, de vocabulis movere turbas. Paulus enim 1 Tim.
6 graviter dicit, morbum Ecclesiae perniciosum esse, quando quis languet
blasphemiae, concertationes hominum mente corruptorum, qui veritate privati sunt.

Hanc objectionem ideo recensui, ut eo commodius et planius explicari et
30 monstrari posset, quod sit κρινώμενον, seu quis sit verus status hujus controversiae, de articulo justificationis.

Est autem nostra simplex haec, et aperta responsio: Nequaquam tales
sumus turbatores, qui verae et solidae, et salutari concordiae ita simus ini-
35 qui, et adeo cupidi contentionum, ut etiam si de rebus ipsis constituta esset vera, pia et salutaris consensio, quaesituri tamen essemus materiam rixarum, ex verborum pugnis.

Patribus enim, licet plerunque verbum justificare accipiant pro renovatione, qua efficiuntur in nobis per Spiritum opera justitiae, non movemus
40 litem, ubi juxta Scripturam recte et commode tradunt doctrinam, quomodo et quare persona Deo reconcilietur, accipiat remissionem peccatorum, et adoptionem, et acceptetur ad vitam aeternam. Saepe etiam a nostris monstratum est discrimen illud significationum, quomodo juxta analogiam fidei, et perpetuam Scripturae sententiam recte, pie et dextre intelligi et admitti possit
45 illa etiam significatio, si cum Patribus accipiatur, juxta morem Latinae compositionis. Sed nihil placatiores facti sunt Pontificii. Non enim de vocabulis tantum, sed praecipue de rebus ipsis dissensio et certamen est in articulo justificationis.

Haec enim est principalis quaestio, hic status, hoc κρινόμενον: quod scilicet id sit, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid iudicio Dei opponi debeat et possit, ne juxta rigidam legis sententiam damnemur, quid fides apprehendere et adferre, quo niti debeat, quando vult cum
5 Deo agere, ut accipiat remissionem peccatorum, quid interveniat, propter quod Deus peccatori, qui commertus est iram et aeternam damnationem, reddatur placatus et propitius: quid conscientia statuere debeat illud esse, propter quod donetur nobis adoptio, in quo tuto collocari possit fiducia ut acceptemur ad vitam aeternam etc. An illud sit satisfactio, obedientia et meritum Filii Dei
10 mediatoris: an vero inchoata in nobis novitas, dilectio, et reliquae virtutes in nobis. Hic est status ille controversiae.

SECTIO III.

CONCILII TRIDENTINI SENTENTIA DE JUSTIFICATIONE.

Constituta autem ex Scriptura, et comprobata vera sententia de justificatione hominis coram Deo ad vitam aeternam: accedimus jam ad examen decretorum Concilii Tridentini, de justificatione: cujus ratio facilior et planior nobis erit, quia et fundamenta doctrinae, et pleraque ad examen pertinentia, jam in praecedentibus explicata sunt. In caeteris vero habemus Andradium, Concilii interpretem.

20 Et de medio quidem seu organo, quo a Deo nobis offertur, et quo a nobis accipitur promissio justificationis, postea in loco de Fide dicemus.

De praeparatione vero (quam ita vocant) ad justificationem, et de incremento justificationis, ad finem hujus loci quaedam annotabimus. Quae igitur in decreto ad ipsam justificationem pertinent, jam annotabimus.

25 Est autem status disputationis: Quomodo homo coram Dei justificetur ad vitam aeternam? hoc est, quid illud sit, quod ad iudicium Dei adferree, quod inter iram divinam et peccata nostra interponere debeamus: ut propter illud a sententia damnationis absolvamur, in gratiam in Deo recipiamur, adoptemur in filios, et acceptemur ad vitam aeternam.

30 Dupliciter autem respondent Tridentina decreta. I. Negant justificationem peccatoris esse solam remissionem peccatorum: Et multa dicunt anathemata: si quis dixerit, homines per justitiam Christi coram Deo justos esse, vel hominem justificari sola imputatione justitiae Christi, vel sola remissione peccatorum, vel justificari gratia: hoc est tantum favore Dei, aut
35 misericordia Dei, peccata remittentis propter Christum. II. Affirmant, justificationem impii coram Deo ad vitam aeternam, non esse solam remissionem peccatorum, sed et sanctificationem interioris hominis. Et unicam causam formalem justificationis, affirmant esse illam justitiam a Deo nobis donatam, qua renovamur spiritu mentis nostrae, ut non modo reputemur, sed vere justi
40 nominemur et simus: justitiam in nobis recipientes, quam dicunt esse charitatem inhaerentem in nobis, quam merito passionis Christi Spiritus S. in nobis operatur.

Haec Tridentina decreta, si referantur ad ea, quae supra ex Scriptura demonstrata sunt, luce meridiana clarius erit, illam ipsam sententiam, quae perpetua est Scripturae Propheticae et Apostolicae de justificatione hominis coram Deo ad vitam aeternam, multis et atrocibus anathematismis a Concilio
5 Tridentino damnari: quod scilicet sola divina misericordia propter meritum, obedientiam seu justitiam Christi, peccata nobis remittantur, recipiamur in gratiam, adoptemur in filios, et acceptemur ad vitam aeternam.

Manifestum erit et hoc quod sub multorum anathematum interminatione, justificationem hominis coram Deo ad vitam aeternam, tribui volunt illi ipsi
10 rei, cui Scriptura manifestissimis sententiis eam adimit et detrahit: novitati scilicet, charitati seu bonis operibus renatorum. Et quia supra multis manifestissimis Scripturae testimoniis hoc demonstratum est, ad ea Lectorem remitto. Si enim tantum collationem et negative, et affirmative instituerit, ejus sententiae, quae in Scriptura tradita est, et ejus, quae in decretis Synodi
15 Tridentinae proponitur: videbit eas ex diametro inter se pugnare: quod enim Scriptura negat, hoc Tridentinum Concilium affirmat esse nostram justificationem coram Deo ad vitam aeternam: et rursus quod Scriptura affirmat, hoc Concilium non tantum negat, sed atrociter damnat: ut vere dicere possimus tale esse Concilium, quale Psalm. 2 describitur: Convenerunt in unum adver-
20 sus Dominum, et adversus Christum ejus. Ipsum vero artificium, quo architecti horum decretorum rem ipsam specie aliqua involverunt, ne ab imperitioribus statim deprehenderetur, dignum est observatione. Si enim statum quaestionis ita posuissent: Quid illud sit propter quod Deus nobis placatus et propitiatus reddatur, qua re adoptio nostra apud Deum nitatur, propter quid
25 coram tribunali Dei consistamus et absolvamur, ut simus haeredes Dei, et acceptemur ad vitam aeternam: viderent in tanta luce Evangelii, moderata ingenia, et aures multorum piorum in ipso regno Pontificio abhorrerent ab illis monachorum vocibus, si propriis nostris operibus propitiatio, adoptio, et haereditas vitae aeternae tribueretur.

Et cum tamen omnino sententiam istam retineri vellent. Primo, aequivocatio verbi justificationis visa fuit Concilio commodissima, quae turpitudinem monasticae opinionis aliquo modo palliaret: de qua aequivocatione in principio diximus. Secundo, pro operibus propriis, substituerunt vocabula sanctificationis, renovationis, inhaerentis justitiae etc. Tertio insidiosae ita formarunt
35 capitula et canones decretorum, quasi nostra doctrina sanctificationem, renovationem, charitatem, et reliqua dona novitatis, quae Spiritus operatur in renatis, ita excludat, ut nec sequantur, nec adsint in renatis: ita ut propter nostras Ecclesias repetenda fuerint decreta, quae olim in Concilio Milevitano Pelagianis opposita fuerunt: Christum scilicet meruisse nobis non tantum
40 remissionem peccatorum, verum etiam hoc quod propter ipsius meritum, per Spiritum sanctum renovamur: et credentes fide propter Christum accipere non tantum remissionem peccatorum, verum etiam Spiritum sanctum, qui corda sanctificat et renovat. Sed antea diximus, et aliquoties jam repetitum est, hunc non esse statum controversiae. Nullo modo enim haec negamus, sed
45 clare et diligenter utrumque beneficium Mediatoris praedicamus, et reconciliationem et renovationem, illo ordine sicut Scriptura tradit.

Sycophanticum igitur artificium est, quod oblique nostras Ecclesias insimulant, quasi illa ita excludamus, ut nec sequantur, nec adsint: cum status

controversiae sit: An propter meritum, obedientiam, seu justitiam Christi: an vero propter sequentem et inchoatam nostram novitatem absolvamur coram tribunali Dei, habeamus Deum placatum et propitium, adoptemur in filios, et acceptemur ad vitam aeternam, sicut in principio hujus loci, de insidiosis illis
5 technis, et de vero controversiae hujus statu, plura annotavimus. Quia enim vident etiam idiotas in monachorum et postillatorum crassis scriptis et opinionibus animadvertere, quod in doctrina de justificatione, a sententia Scripturae procul discedant: aliud igitur et subtilius artificium Tridentinis patribus quaerendum fuit, cum vellent in tanta hujus temporis luce, quae ex lectione Scripturae
10 hominibus affulsit, quorundam oculos configere et fascinare. Sed huic Sophistico artificio semper opponendum, et vel ad fastidium usque repetendum est, quae sit principalis quaestio in hac controversia de justificatione hominis coram Deo ad vitam aeternam, sicut illam aliquoties jam exposuimus. Et tamen inter illas ipsas sophisticas insidias, si quis paulo attentius consideret, non obscure animad-
15 vertet, quo Tridentina illa decreta tendant. In quarto enim capitulo dicunt: In hac de justificatione, disputatione, quaestionem esse: quomodo homo ab eo statu in quo est filius irae, transferatur in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei. Et cap. 7 dicunt se agere de illa justificatione, qua homo ex inimico fit amicus Dei, ita ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hanc vero justificationem
20 definiunt non esse solam imputationem justitiae Christi, vel solam peccatorum remissionem: sed et sanctificationem, et renovationem interioris hominis. Et illus mox planius explicant, cum dicunt, charitatem esse justitiam inhaerentem. Et hanc esse candidam et immaculatam illam stolam, quam renati perferre debeant ante tribunal Christi, ut habeant vitam aeternam. Sine dissimulatione
25 igitur Christo adimunt, et nostrae charitati hoc tribuunt, quod ea justificemur: hoc est, quod propter illam coram tribunali Dei absolvamur, et acceptemur ad vitam aeternam. Sed quid fiet Paulo, qui justificationem nostram tribuit misericordiae Dei, et merito obedientiae, passioni, satisfactioni Christi? Audi vero, quomodo Tridentinum Concilium dulcissimas illas Scripturae sententias eludat.
30 Dicunt, Christum sua sanctissima passione meruisse, non hoc ut misericordia Dei propter illam Christi satisfactionem et obedientiam, nos a sententia damnationis absolvat, recipiat in gratiam, adoptet in filios, et acceptet ad vitam aeternam. Sed hoc dicunt esse totum meritum Christi, quod propter illud misericordia Dei infundat nobis novam qualitatem justitiae inhaerentis, quae
35 est charitas, ut illa justificemur: hoc est, ut non propter Christi obedientiam, sed propter nostram charitatem absolvamur coram judicio Dei, adoptemur in filios, et acceptemur ad vitam aeternam: ut ita misericordia Dei, tantum sit causa efficiens, et obedientia Christi tantum sit meritoria causa: ut inde nos in nobis ipsis habeamus inhaerens aliquid, quod possimus opponere judicio Dei,
40 quo debeamus confidere, quod propter illud, et non propter Christum absolvamur, adoptemur in filios, et accipiamus haereditatem vitae aeternae. Quod vero Paulus dicit, gratis nos justificari: hoc ita interpretantur, quod non propter nostra praecedentia merita, sed propter Christum, gratis nobis donetur et infundatur habitus ille charitatis, propter quam coram tribunali Dei justi pronuntiemur ad vitam aeternam. Ut autem Lector recte intelligat unde haec sumpta
45 sint, conferat locum Bonaventurae in tertio sententiarum, dist. 19, quaest. 1, ubi inquit: Utraque, mors scilicet et resurrectio Christi, delicta nostra tollunt, et utraque justificant. Attamen neutri attribui potest proprie causalitas justificationis, sive remissionis peccatorum. Habet tamen aliquam causae proprietatem: scilicet per modum meriti intervenientis, quod reducitur ad causam materialem. Formalis enim est gratia, hoc est, charitas, quam Deus infundit, etc.

Haec de artificio, quo usi sunt architecti sive λογοδαίδαλοι decretorum, recte observata multa monent. Nec opus est addere peculiarem refutationem. Ideo enim in principio fundamenta doctrinae Propheticae, Evangelicae, et Apostolicae de justificatione exposui, ne in refutatione subinde eadem
5 essent repetenda: et ut ex ipsa collatione dijudicari posset, quo loco et genere censenda sint illa, quae in Tridentino Concilio de justificatione decreta sunt: ex professo enim, et ex diametro pugnant cum perpetua Scripturae sententia.

Et haec quidem in ipso decreto Tridentino ita animadverti possunt. Quae vero praeterea mysteria sunt retrusiora, et quae agitatae fuerint in Concilio
10 rationes, ex quibus sententia illa decreti exstructa tandem est: Andradii explicationes nobis pendent. Praecipue vero glossa (quod dicitur) notabilis est, quid et quomodo in Tridentino Concilio intellexerint remissionem peccatorum. Existimaret enim aliquis, hanc qualemcunque esse liberalitatem aut indulgentiam Concilii, quod justificationem vel ex parte videatur constituere in gratuita
15 remissione, sive non imputatione peccatorum, propter meritum Christi. Sed audi bone Lector, quomodo Andradius mentem et sensum Concilii explicet: in hanc scilicet sententiam, et his verbis: Quia justus is dici non potest, qui totus est peccatorum maculis inquinatus: ideo Deum infundere homini charitatem, cujus vi et potentia crimina omnia eluantur, scelera exstinguantur, peccata expellantur et intereant, omneque tetri facinoris vestigium aboleatur.
20 Atque ideo justificationem magis in charitate divinam legem complectente, quam in peccatorum venia positam esse: imo justificationem in ipsa sanctificatione collocandam esse. Et charitatem esse, quae hominem Deo pergratum perque acceptum reddat. Haec vero Andradius ita explicat, ut manifeste ostendat, decretum Concilii esse tantum paraphrasin ejus quod Sententiarum disputant: ad remissionem scilicet culpae, requiri infusionem gratiae: hoc est, charitatis per quam peccatum expellatur sicut ad expulsionem tenebrarum, requiritur illuminatio aeris. Fingunt enim Deum non posse placari offensae, nisi peccatum ex homine sit expulsum, et ejus loco infusa nova qualitas charitatis, quam Deus respiciat: et offensam remittat, et hominem gratum et
30 acceptum habet ad vitam aeternam. Ideo enim charitatem vocant gratum facientem, Ita Scholastici.

Et in hanc plane sententiam, Andradius ostendit intelligenda esse Tridentina decreta de justificatione.

Diligenter itaque Lector observet, id quod ex Andradii interpretatione
35 videt et agnoscit: hoc tantum propositum sibi habuisse Concilium Tridentinum, ut Scholasticorum opiniones de justificatione repeteret et confirmaret: et summa, ut rata manerent, et sacrosancta haberentur, quaecunque et quomodocunque in regno Pontificio a scriptoribus scholasticis, monachis, postulatoribus, summistis, etc. de justificatione disputata sunt: nisi quod vocabula
40 paulisper mutanda judicarunt ut speciem aliquam reformationis, vel quasi imperitioribus praeberent.

Expendamus autem paululum hanc Concilii, de remissione peccatorum mentem, Andradii interpretatione nobis proditam. Verbis enim concedunt, ad
45 justificationem pertinere remissionem peccatorum: et divinam misericordiam, peccata remittere propter Christum. Et nos sane pro ea simplicitate, qua linguae Spiritus sancti et vocibus Scripturae assueti sumus, haec ita

intelligimus: quod filius Dei Mediator, passione ac morte sua nobis promeruerit remissionem peccatorum, ita quod propter meritum, satisfactionem et obedientiam Christi, pater credentibus non imputet peccata ipsorum: et quod (juxta Anselmi dictum) mortem Domini nostri Jesu Christi, fide interponere de-
5 beamus inter peccata nostri, et inter iram Dei, quando petimus et quaerimus ut accipiamus remissionem peccatorum.

Sed Concilium Tridentinum, per interpretem suum Andradium publice declarat hanc non esse suam mentem et sententiam: sed Christum meruisse tantum nobis infusionem charitatis, ut ejus inhaerentis nostrae charitatis vi et
10 potentia, peccata expellantur, exstinguantur et aboleantur. Et ita demum remittere offensam, et fieri placatum et propitium, quando videt omne vestigium peccati in homine per charitatem exstinctum, et prorsus abolitum (utor enim Andradii verbis) qui et hoc addit: ob charitatem infusam nos justos dici: quippe quia peccatis, munere nostrae charitatis deletis, in Dei gratiam reconciliemur. Qui igitur vult remissionem peccatorum accipere, debet juxta Con-
15 cillii Tridentini sententiam, interponere inter peccata sua et offensam Dei, non satisfactionem Christi, sed inhaerentem suam charitatem, et tunc demum credat Deum remissa offensione, sibi certo placatum et propitium esse, quando charitas peccatum ita expulerit et exstinxerit, ut omne ejus vestigium in homine
20 abolitum sit: haec enim sunt Andradii verba. Ita juxta eandem interpretationem, Christus obedientia sua non meruit credentibus in ipsum salutem et vitam aeternam: sed hoc tantum meruit, quod propter ipsum infunditur nobis charitas inhaerens: ut illa demum sit quae hominem Deo non tantum gratum, sed pergratum (repeto enim Andradii verba) non tantum acceptum, sed peracceptum reddat ad
25 vitam aeternam.

Sed hic objicit Osius: Ergone vos Lutherani docetis peccatum ita remitti, ut maneat in homine sine contritione, detestatione et mortificatione, post reconciliationem, eodem plane modo sicut ante? Respondeo: Nota est doctrina nostra, quod doceamus, in conversione debere adesse in homine contritionem,
30 detestationem peccati, bonum propositum, etc. Docemus etiam, renatos debere spiritu actiones carnis mortificare, Rom. 8. Ut caro cum vitiis et concupiscentiis magis magisque crucifigatur et mortificetur, Gal. 5 ne peccatum regnet. Rom. 6. Sed ex Scriptura didicimus, remissionem peccatorum, ut sit certa et firma, niti non nostra contritione, detestatione, mortificatione, etc.
35 sed niti satisfactione et merito Christi, ut propter illam peccata nobis remittantur. Et licet in reconciliatis non maneat peccatum regnans, seu vastans conscientiam: tamen ex Scripturae traditione didicimus, Deum remittere offensam, et esse nobis placatum et propitium: non quod nullum plane vestigium peccati amplius in nobis inveniat (in carne enim mea, inquit Paulus renatus,
40 habitat peccatum) sed quia propter Christum peccatum non imputat, sed remittit. Si enim dixerimus, peccatum nos non habere, nos ipsos seducimus, sed si confiteamur, justus est ut dimittat peccata.

Sed in re manifesta nihil addam amplius: Videt enim pius Lector, remissionem peccatorum, adoptionem, ipsam denique salutem et vitam aeternam
45 adimi et detrahi satisfactioni et obedientiae Christi, et transferri in nostras virtutes: Christo vero Mediatori hoc tantum relinquatur, quod propter ipsius meritum accipiamus charitatem. Postea vero fingunt, charitatis vim et potentiam hanc esse, quod peccata exstinguat: ut ita tandem, propter charitatem

nostram, quia peccata delet, accipiamus remissionem peccatorum. Addunt et hanc esse charitatis vim et potentiam, quod reddat nos Deo pergratos et acceptos ad vitam aeternam. Vere igitur et justo dolore cum Paulo exclamabimus: Evacuati estis a Christo, qui charitate vestra, quae est summa legis justificamini. Galat. 5. Exinanita est fides et abolita promissio, si haereditas ex lege, cujus summa est charitas. Rom. 4. Et sane non commutarem magno aliquo pretio, quod hoc modo produntur insidiae et technae Tridentini Concilii, quas miris verborum involucris occultarunt. Quando enim juxta Andradii interpretationem mens Concilii denudata de remissione peccatorum, eo sicut jam ostendimus modo proponitur, tunc cuivis tantum volenti considerare manifestum est, quomodo cum Scriptura ex diametro pugnet, quam contumeliosa et blasphema sit in sanctissimum meritum Domini nostri Jesu Christi: cujus thronum, ipso deturbato, nostrae virtutes invadere jubentur, ut sint nostra propitiatio pro peccato, et pretium vitae aeternae. Et ex hac Andradii interpretatione nunc demum intelligo, quid hoc sibi velit, cum decretum Tridentinum pronuntiet, justificationem constare duabus partibus remissione peccatorum et renovatione: quod tamen non multo post dicunt, unicam tantum esse causam formalem justificationis, novitatem scilicet, vel charitatem: Illa enim juxta Andradii interpretationem, simul est causa formalis et remissionis peccatorum, et acceptionis ad vitam aeternam.

The following are from the Catalogus Testium Veritatis, qui ante nostram aetatem Pontifici Romano, eiusque erroribus reclamarunt, Strassburg, 1562, pp. 424-426.

5

VUALDENSES.

Cum diligentius pro mei tenuitate iudicii rem perpendo, uideor mihi animaduertere, & Deum & satanam sub idem tempus, eadem consilia instaurandi confirmandique suum coetum & religionem agitasse. Nam ante quadringentos annos, & satan quatuor quosdam Apostolos, ueluti quatuor suae impietatis
10 columnas exitauit, qui suum Antichristum eiusque abominaciones egregie confirmarunt, stabilieruntque: & Christus suam religionem Antichristi abominacionibus mundatam, mundo denuo exhibuit, ac ostendit. Quatuor illi satanae Apostoli, qui ante 400 annos Papatum egregie confirmarunt, ac ueluti a fundamentis instaurarunt, fuerunt primum Gratianus Decreti collector, & Petrus
15 Lombardus, qui Magister sententiarum uulgo a sophistis uocatur: quorum uterque partim ex sacris literis, partim & multo magis ex patribus ac conciliis mala fide collectis, peiorique interpretatis ac detortis sententiis, Papisticam religionem probare, stabilireque sunt conati. Deinde Franciscus & Dominicus, qui instituta noua hypocrisi monachatus, homines etiam magis quam quisquam
20 ante, superstitionibus ausi sunt dementare.

Porro Christus potissimum per quendam Petrum Valdum Lugduni primum ciuem. suam ueritatem, depulsis Antichristi tenebris (ut postea clarius apparebit) illustrauit. Accidit autem ea doctrinae religionisque Christianae instauratio, ut multi historici testantur, hoc modo:

25 Circa annum Domini 1160 fuerunt Lugduni aliquot optimates, quodam loco congregati, conferentes de uariis rebus: ut solent saepe, praesertim aestatis tempore, in Italia & Gallia in porticibus Magnates conuenire dispellendi taedii, fallendique ocii causa, ac colloquendi cum aliis sui ordinis uiris. Ibi dum illi ociosi sermones cedunt, accidit, ut subito unus spectantibus omnibus aliis mortuus corrueret. Eo tam tristi exemplo fragilitatis humanae diuinacque irae perterritus ac commotus unus ex illis nomine Valdus, homo praediues, haud dubie
30 impellente eum etiam Dei Spiritu, coepit cogitare de emendanda uita, placandoque Deo, ac uera pietate aliquanto magis serio colenda, quam ante fecerat. Coepit igitur & eleemosynas largius distribuere, & se suamque domum, ac eos
35 qui eum aliquando quacunq; occasione accedebant, docere & admonere de poenitentia, sincero Dei cultu, ac uera pietate.

Progrediente paulatim tum beneficentia eius in egenos, tum ipsius studio docendi, aliorumque discendi, iam etiam frequentior coetus ad eum confluere coepit: & ipse eis non suas aliquas regulas, suique capitis somnia dictare, sed
40 sacras literas tum explicando declarare, tum in uulgarem Gallicam linguam transferre. Fuit enim homo doctus, ut ex uetustis membranis cognosco: & non curauit sibi ab aliis uerti, ut quidam ueritatis inimici mentiuntur.

Episcopus porro & Praelati, qui, ut Christus inquit, clauis regni caelorum abstulerunt, ac nec ipsi intrare nec alios intromittere uolunt, aegre

ferentes hominem laicum & secularem (ut isti spiritualis clericatusque nomine gloriantes, tumentesque alios Christianos prae se contemnunt) sacras literas in uulgarem sermonem uertere, docendo declarare, & iam etiam quasi coetus quosdam domi suae habere, eique concionari: primum monuerunt eum, eius-
5 que sectatores, ut ab instituto desisterent: addita etiam excommunicationis cominatione. Verum nec ipsius studium promouendae gloriae Dei, salutisque proximi: nec fames uerbi Dei, qua pusilli Christi, nemini alioqui in templis uerbum Dei syncere docente, laborabant, talibus Pharisaeorum & Pontificum mandatis coliberi poterat. Dicebat enim & doctor & auditores, Deo magis
10 quam hominibus obediendum esse. Esse uero Dei praecipuum mandatum, uocem Dei audire.

Quare neglectis impiorum mandatis, coepit etiam diligentius esurientes Christianos non tantum re familiari, quae nimia largitate paulatim magis ac magis extenuabatur, quam uerbo Dei, salutaribusque monitis ac documentis
15 pascere. Data quoque Valdo, eique adhaerentibus occasio est, illa praelatorum tyrannide, iniustisque mandatis, quibus simplicem innocuamque praedictionem uerbi Dei opprimere ac extinguere conabantur: ut paulo diligentius de sacerdotibus, eorumque religione ac instituto cogitarent, & paulo liberius loquerentur: atque ita crescente etiam certamine cum sacerdotibus, subinde plures
20 errores ac superstitiones Papisticae religionis animaverterent & taxarent. Sicut & hoc tempore accidisse uidimus, ut cum Papa eiusque mancipia in Luthero ferre nollent solam indulgentiarum reprehensionem, darent ipsi occasionem peruestigandi ac redarguendi plures ipsorum errores.

Eodem etiam tempore collegit Valdus patrum testimonia uulgari sermone,
25 ut suos non tantum scriptura, sed etiam ueterum testimoniis contra aduersarios ueritatis communiret. Cernentes itaque Episcopus ac eius Pharisaei & Scribae, Valdi eiusque sectatorum in docendo ac discendo Dei uerbo constantiam, quam illi pertinaciam esse calumniabantur: dolentes etiam suas turpitudines, inscitiam, negligentiam in docendo, & aliquos etiam errores ab eis
30 taxari, excommunicauerunt eos omnes simul. Aliquanto uero post, cum illos ne excommunicatione quidem moueri cernerent, ut a suo proposito desisterent, etiam exilio, carceribus, ferro demum ac igni persequi, & crudeliter uexare coeperunt: ut necessitate, praesentique periculo coacti sint Lugduno discedere, ac in uarias terras diffugere & dilabi.

Credibile est aliquot annis, forte quatuor aut quinque, eum coetum durasse, ac Valdum docuisse, pruisquam plane Lugduno pellerentur ac dissiparentur. Nam & Valdus uir potens fuit, multosque eum amicos ac cognatos habuisse uerisimile est: eoque non tam facile opprimi potuit, nec etiam initio statim durius sacrificos Papae uexauit, denique nondum erat inducta in Christianitatem ista plusquam barbarica & ethnica credelitas, in pios tam atrociter
40 grassandi, quam nunc inquisitores passim exercent quamque potissimum immitissimis istis lupis, pellibus ouium indutis, qui se monachos uocant, debemus: ut taceam illud quod in hac re praecipuum est, quod Deus suis, ante persequutionem, discendi spacium ac commoditatem benigne solet concedere.

45 Quo tempore procul dubio Valdus & discipulos aliquot egregios ita edocuit ac erudiit, ut ei collegae esse, officioque docendi recte fungi possent: & doctrinam suam constituit, seu (ut rectius dicam) Christi doctrinam ac

religionem pharisaico Antichristi fermento repurgauit, erroresque ac superstitiones Papae ac Papistarum notauit, indicauit & refutauit. Appellati porro sunt non tantum Valdenses illi homines, sed etiam pauperes de Lugduno, Leonistae, & Insabbatati: uaria enim illis nomina ab aduersariis indita sunt.

5 Atque haec de ortu, seu potius instauratione huius uerae Christi religionis ac doctrinae. Nam etiam aduersarii quidam eorum scribunt, alios dicere, inde a Syluestro perpetuo fuisse similium dogmatum sectatores: alios uero etiam inde ab Apostolis. Iam de ipsis eorum articulis, seu dogmatibus.

ARTICULI VALDENSIUM

- 10 1. Solis sacris literis credendum esse in iis quae ad salutem pertinent, & nulli praeterea homini aut scripto, firmiter sentiunt.
2. Sacras literas integre continere omnia ea quae ad salutem sunt necessaria: eoque nihil penitus recipiendum aut admittendum in religione esse, nisi id solum quod nobis Deus in sacris literis praecepit, indubitanter credunt.
- 15 3. Vnum esse tantum mediatorem, nec esse inuocandos sanctos ulla ratione, statuunt.
4. Purgatorium nullum esse, sed omnes homines uel per Christum iustificatos in uitam aeternam, uel non credentes in aeternum exitium abire, tertium aut quartum locum superesse nullum, aiunt.
- 20 5. Tantum duo sacramenta, Baptismum ac Communionem, recipiunt ac probant.
6. Omnes Missas, & praecipue eas quae pro mortuis canuntur, impias, eoque abolendas penitus esse affirmant.
7. Omnes traditiones humanas reiiciendas, uel certe pro necessariis ad salutem nequaquam habendas esse: eoque tollendum esse cantum ac recitationem officii, ieiunia ad dies certos alligata, superflua festa, discrimen ciborum, tam uarios gradus ac ordines sacerdotum, monachorum ac monacharum, uarias benedictiones seu consecrationes creaturarum, uota, peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum ac caeremoniarum ab hominibus inuentarum seu excogitarum antiquandam esse.
- 25 8. Primatum Papae super omnes Ecclesias, in primis potestatem eius supra omnes politias, seu utrumque eius gladium penitus pernegant, nec censent alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, praeter sacerdotum diaconorum et Episcoporum.
- 30 9. Communionem sub utraque specie & piam esse, & necessariam, utpote a
35 Christo ordinatam & praeceptam, asserunt.
10. Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi: Papam esse omnium errorum fontem, & uerum Antichristum contendunt.

11. Indulgentias quoque reiiciunt: tametsi illae infra quadringentos annos, nempe ante 250. primum a Bonifacio octauo excogitatae sunt.

12. Coniugium sacerdotum pium ac necessarium in Ecclesia esse docent.

13. Verbum Dei audientes, ac recte sentientes, Ecclesiam eius esse, eique
5 Ecclesiae clauas a Christo datas, eoque eam posse ac etiam debere lupos fugare, & ueros bonosque Christi pastores uocare, & eorum uoce audire, ac ab illis sacramenta percipere.

Hi ferme sunt Valdensium articuli, tametsi alii eos per species latius diducant, pluresque faciant.

10 Constituta igitur iam, seu potius repurgata Christi doctrina ac religione, instructisque ac edoctis non paucis, qui ad docendum iam & ipsi idonei essent, accidit procul dubio non tantum humana aut diabolica persecutorum malicia, sed multo magis diuino consilio, sicut Apostolorum tempore, ut crudelitate impiorum Lugduno pellerentur, ac per uarias mundi regiones dissiparentur,
15 quo scilicet in omnem terram sonus eorum exiret, & ueritatis lux dispergeretur. Aufugerunt igitur Lugduno, partim in uarias Galliae partes, & praesertim in Narbonensem prouinciam: partim, & quidem plures, in Lombardiam, Italiae prouinciam, quam Romani citeriorem Galliam uocarunt.

* * * * *

20 This selection is from the Magdeburg Centuries,
Decimatertia Centuria Ecclesiasticae Historiae,
Basel, 1574, columns 1193-1198, passim.

THOMAS DE AQVINO.

Thomas de Aquino, alias doctor Angelicus appellatus ex illustri familia comitum in confinibus Apuliae & Siciliae originem traxit, patre quidem Landulfo, matre uero Theodora Neapolitana natus anno 1221. in Vigilia Ascensionis Domini. Cui Anachorita quidam praedixisse fertur, antequam nasceretur, sequens uitae curriculum, hisce uerbis: Paries filium & uocabis eum Thomam. Hic intrabit ordinem praedicatorum, & erit magnus coram Deo & hominibus, & doctrina sua mundum illuminabit.

30 Is a parentibus Cassinensibus monachis commendatus, tum quidem, cum Conradus Sueuus Aquinum uastaret: quam ob causam Blondus dicit, ipsum metus regni Siciliae ad doctrinae & religionis uiam uideri traxisse. Singularem diligentiam literis bonis incubuit, monasticaeque uitae inuigilauit. A condiscipulis Bos appellatus est, quod taceret semper, & docentes sedulo audiret. Ex
35 quo uox coelitus audita est, Hunc bouem suo mugitu terrarum orbem repleturum.

In quibus, ubi mediocrem fecisset prouectum, Dominicastris monachis, uulgo Praedicatores uocant, sese adsociauit. Id uero pessime reliquos ipsius fratres germanos habuisse ferunt, ita quidem, ut ui extractum custodiae tradiderint toto biennio in turri quadam. Utque omnino proposito deiicerent,
40 puellam forma eleganti ad ipsum intromittunt in turrim, in qua captus

detinebatur. Hic continuo in genua prouolutus, perpetuae continentiae donum
petit, & subito ei adsistunt angeli duo, qui & exauditum dicunt, & renes ipsius
simul hisce uerbis additis cingunt: Ex parte Dei cingimus te castitatis uinculo,
5 modo credere fas est. Mater cum animum ipsius uideret inexpugnabilem, di-
missum ad Dominicanos redire passa est. Praeceptore usus est Iohanne quo-
dam praedicatorum magistro. Hac occasione nactus est praeceptorem doctis-
simum Coloniae Albertum Magnum, cuius adminiculo adminiculo breui tempore
tantum profecit, ut & in philosophia & Theologia nulli praestantissimorum ha-
10 beretur inferior.

Opera eius.

Ab Urbano quarto Romam uocatus, spretis dignitatibus quae ultro offere-
bantur, totum sese lectioni & scriptioni dedit.

15 Autor fuit Urbano quarto, ut festum Corporis Christi anno 1267. insti-
tueret, cuius iussu uicissim officium de corpore Christi composuit, abominan-
daeque idolomaniae hoc pacto autor extitit.

Miracula dicitur edidisse, ut propterea celebris esset.

Vitae monasticae strenuus patrocinator extitit contra Guilhelmum de S.
Amore.

20 Scholam Romae instaurauit.

Saepe cum oraret, uisus est duobus cubitis eleuatus a terra, nulli prorsus
fulcro innixus.

25 Antequam quid ageret uel disputando, uel legendo, uel dictando, uel scri-
bendo, ad orationem conuersus est, ut dicere sit solitus, se ad eam scientiam
non ingenii sui industria peruenisse, sed sola impetrasse oratione diuinitus.

Primum omnium quae ageret quotidie, erat Missam unam, sed sine man-
dato Dei, dicere, & ab alio dictam audire unam. Si ipse celebrare non posset,
duas nihilominus audiuit.

30 Anno 1238. disputationi Parisiensi interfuit, de pluralitate beneficiorum,
suamque de ea sententiam dixit, Medietatem ministrorum Dei resecatam per
hoc genus auariciae.

Certamina eius.

Almareanos refutauit, qui docuerunt Deum esse coeli animam.

35 Daudem de Dinario itidem refutauit, cuius dogma fuit, Deum rerum
omnium esse primam materiam.

Visiones eius.

Cum aliquando in textu scripturae dubio & difficili haereret, uisus est Petrum & Paulum uidere Apostolos, qui explanarent.

- 5 Non multo ante quam finem uiuendi faceret, apud Neapolim in ecclesia Dominicanorum ad crucem ligneam conuersus, orans, haec uerba audiuit: Bene de me scripsisti Thoma: quam ergo recipies tui laboris mercedem? Ille uero: Domine, non aliam, quam teipsum.

Mors eius.

- 10 Cum corpore aeger decumberet, uisus est cometa super monasterium Fossae nouae, ordinis Cisterciensium, qui una cum eo simul extinctus est, anno 1274, nonis Martii, anno aetatis eius 50. Canonisatus est a papa Iohanne XXII. Alii referunt, ipsum in itinere, cum ad concilium Lugdunense profecturus esset, mortuum, anno 1274.

Miracula eius post mortem.

- 15 Mortuum miraculose plurima operatum esse nugantur, quorum nonnulla recensebimus.

Monachi Fossae nouae post mensem septimum sepulchrum eius aperuerunt, ut alio transferrent: ecce odor suauis gratusque capellam S. Stephani, in qua sepultus erat, totumque monasterium repleuit. Credat hoc qui uelit.

- 20 Hanc fragrantiam quidam anno septimo post, quidam 14. post se odoratos esse testati sunt.

Chirurgus aliquis toto decennio podagra male uexatus, ubi se Deo & huic Thomae ad tumulum ipsius commendasset, sanus prosiliit.

- 25 Alius terribili quadam uisione perterre factus, mirabilem sensit subito metamorphosin. Nam manibus contractus, & facie & ore distortus, omnino sensibus & robore corporis priuatur, ut mortuo similis iaceret. Is ad eius tumbam portatus, ubi paulum moram ibi traxisset, sanus surrexit.

* * * * *

- 30 The following selections are from the Clavis Scripturae, seu de Sermone Sacrarum Literarum, Jena, 1674, col. 21 f., 76 f., concluding with a curious note by the editor, J. Musaeus (col. 834), and an illustrative passage (col. 615).

PRAECEPTA

de ratione legendi Sacras literas, nostro arbitrio collecta, aut excogitata.

- 35 1. In omnibus cogitationibus, conatibus, & actionibus, praesertim gravioribus, cum primis autem sacris, utilissimum est, diuinam opem implorare:

ut is omnem nostrum conatum, & praeveniat inspirando; & adjuvet prosequendo; & denique finiat benedicendo, aut felicem exitum, incrementumque ac fructum, labori nostro largiendo.

2. Cum autem, ad omnes conatus, oporteat afferre piam bonique pro-
5 positi mentem: tum praesertim hic necessum est, hoc unum cogitare, ac in
votis habere; ut cupias veram ac genuinam Sacrarum literarum sententiam as-
sequi, qua velis ad Gloriam Dei, & tuam aliorumque utilitatem, praesertim
spiritualem ac aeternam, optima fide uti: non ad ostentationem, aut captandum
lucrum; multo minus ad oppugnandam veritatem: ut Papistae Sacras literas
10 legunt.

3. Sic vero in veneratione Sacras literas habere, & ea religione cognos-
cere, debet pius homo; ut statuat, se non (ut ita dicam) mortuum librum legere;
non etiam alicujus sanctissimi, gravissimi, aut sapientissimi hominis scripta
cognoscere; sed ipsius viventis Dei, nunc ibi coram secum agentis, oracula
15 auscultare. Ille n. est istius libri autor, aut ita eum humano generi proposuit;
ut qui semper velit coram cum hominibus, per istum librum, colloqui; eosque
de se, & ipsorum aeterna salute, docere.

4. In omnibus porro gravibus rebus ac negotiis, distracta variis curis
ac cogitationibus mens, infeliciter versatur. Quare in hoc studio, sit mens
20 omnibus curis, ac veluti eam suffocantibus spinis, libera; totaque in hoc opus
intenta: praesertim vero absint omnes pravae cogitationes, & perversi affectus.

5. Contentus sit Lector, ut simplicem ac genuinum Sacrarum literarum
sensem, & praesertim ejus loci, quem jam legit, assequatur: ne quaerat
aliquas umbras, aut sectetur somnia allegoariarum, aut anagogiarum: nisi
25 manifeste fit allegoria; & literalis sensus sit alioquin inutilis, aut etiam absurdus.

6. Ubi quid intellexerit, & memoria complexus fuerit; adhibeat protinus
aliquam meditationem: ut rem sententiamve eam, tum tanto plenius cognoscat;
tum etiam in pium usum praxinque fidei, invocationis, consolationis, aut alius
instructionis & morum, transferat.

7. Si quae occurrunt, quae statim assequi non possumus: ea ne piguerit
30 diligentius rimari; tum ipsum textum ac res considerando; tum interpretum
libros consulendo; tum etiam doctos simul & pios interrogando.

8. Quod-si etiam in praesentiarum plane aliquid assequi nequimus;
memoriae tantum locum ac verba ejus mandemus: sperantes & exspectantes,
35 ut id nobis Dominus clementer, aliqua occasione, patefaciat. Nihil in Sacris
frustra scriptum est; nihilque etiam contemnendum.

Atque hae 8. praeceptiones, sunt quasi externae & generales: nunc de iis
dicamus. quae ipsum textum propius attingant.

9. Cum igitur aggredieris lectionem alicujus libri; id statim initio, quoad
40 ejus fieri potest, age: ut primum scopum, finem, aut intentionem totius ejus
scripti, quod veluti caput aut facies ejus est, protinus vereque notum habeas,
qui plerunque paucis verbis notari potest. & non raro in ipso statim titulo notatur:

sive is unus est, cum totum scriptum in unum corpus conformatum est, sive plures, cum sunt plures ejus partes, prorsus inter se-se non cohaerentes.

10. Secundo elabora, ut totum argumentum, summam, epitomen, aut compendium ejus comprehensum habeas. Voca argumentum, illam plenior
5 conceptionem, tum scopi; tum & totius corporis delineationem: in quo simus saepe etiam occasio scriptionis necessario indicatur; licet ea plene in ipso scripto non contineatur.

11. Tertio, ut totius ejus libri aut operis distributionem, aut dispositionem, ante oculos delineatam habeas: utque diligentissime observes, ubi sit
10 (ut ita dicam) caput, pectus, manus, pedes &c. Ibi igitur accurate expendas, quale illud corpus sit; quomodo omnia ea membra complectatur; quave ratione, illa tot membra aut partes, ad efficiendum hoc unum corpus, convenient: quae-
nam sit singulorum membrorum, vel inter se se, vel etiam cum toto corpore, ac praesertim cum capite ipso, convenientia, harmonia, ac proportio.

12. Denique utile fuerit, etiam in tabellam diducere, totam illam unius
15 corporis, in tam varia membra, anatomiam aut diductionem: quo tanto liquidius, & animo percipere ac intelligere opus illud queas; & melius memoriae infigere, cum ita sub oculos in synopsis, aut unum quasi adspectum, omnia subjecta habueris.

13. Haec vero quatuor, scopus, argumentum dispositio, & tabellaris
20 synopsis, proba, vera, ac genuina esse debent. Sicut enim, si vera sint, plurimum adjumenti afferunt: ita contra, si prava sint, toto coelo lectorem errare faciunt. Maxima igitur in eis vigilantia, cautaque examinatio, adhibenda est.

25
DEMONSTRATIONE
certitudinis sacrarum literarum, et religionis Christianae.

Quaecunque in Scriptura sunt, quae cum ratione pugnare videntur, pos-
sunt per communia, & etiam rationi nota principia, demonstrari; contrariaeque
30 objectiones refutari; ut etiam rationi verisimilia videantur. Sunt autem haec principia.

I. Principium.

De Dei essentia, non est judicandum ex humana ratione, vel terrenae
hujus naturae ordine: quandoquidem ipse, tum veluti figulus ejus est; tum
etiam eam in infinitum excellit in omnibus, sed statuendum, posse ejus es-
35 sentiae longe aliam esse rationem, quam nostra mens assequi, vel cogitare possit. Quare, qui contrarium sequuntur, perinde faciunt; ac si quis, con-
spectis luteis ollis, etiam ipsum figulum luteum esse ratiocinetur.

II. Principium.

Deus est liberrimum agens, aut causa. Ergo non semper eodem modo
40 agit: & sicut nunc hanc naturam, & hominem sic condidit aut ordinavit; sic forte aliqua vel jam; vel suo tempore, ut in fine Mundi, mutabit efficiens

resurrectionem, & hominem agentem sine cibo, procreatione, & aliis naturalibus.

III. Principium.

Deus est omnisapiens. In infinitum igitur plures formas, & veluti ideas rerum, quas suo arbitrio operibus exprimat, excogitare potest; quam nos, si
5 nobis exponantur, animo concipere, ac intelligere. Quam infinita varietas est rerum Physicarum, & singularum inter eas specierum; ut animalium, herbarum, arborum, & variorum fructuum, & homini necessariorum subsidiorum? Singulae regiones habent plurimas proprias species pomorum, pyrorum, nucum, cera-
10 sorum, & aliorum fructuum. Sicut igitur nobis ante oculos infinitatem, & varietatem idearum, proposuit; ita potest vel jam habere, vel postea condere novas rerum, creaturarum, & actionum suarum, species. Qui ergo erudituli, vel Physici, vel alii, ex praesenti naturalium rerum natura ratiocinari volunt; Ex nihilo nihil fieri: & Tempus Motum, ac Mobile, esse conjuncta; igitur Mundum esse aeternum. Item, nullum individuum est perpetuum: igitur anima non est
15 immortalis; nec est resurrectio. Isti, inquam, tales sapientes perinde faciunt; ac si quis, mediocri diligentia perspectis omnibus jam effectis operibus, in alicujus praestantis artificis officina, negaret, eum alterius generis opera facere scire, aut unquam fecisse, vel facturum esse. Hanc tamen sententiam nemo, de artifice homine, ferre ausit: at de Deo vivente audent homines
20 Epicurei.

IV. Principium.

Deum esse omnipotentem, omnes fatentur. Itaque, etiamsi quid in Scriptura traditur a Deo fieri, praeter naturae ordinem, vel rationis nostrae opinionem, omnipotentiae ejus ratione habita, pro vero etiam a Gentilibus
25 haberi solet, & debet. Omnino enim statuendum est, Deo nihil impossibile esse, quod velit. Quando quidem enim ipse author naturae & creator est, eamque pro suo arbitrio ita creavit: certum est, eum etiam suo arbitrio illam mutare posse; & in ejus nutu ac potestate totam naturam consistere, donec velit; rursus, cum nolit, totam collabi.

30

V. Principium.



Animam hominis divinum quid esse, hoc est. (ut nos vocamus) spirituale, longe videlicet a corporalibus & humanis rebus a creaturis diversum; sana ratio sentit; ut & Cicero in I. Tuscul. erudite ratiocinatur. Quod si igitur quaedam, in nostris S. Literis, dicuntur de ea, quae a corporalibus his abhorreant; sta-
35 tuendum est, tantum abesse, ut cum natura vel ratione pugnent; ut etiam omnino consentire rationi videantur: quae videt, corporis & animae qualitates plurimas inter se contrarias esse, quod illud corruptibile, mortale, morbis obnoxium; terrenum; haec contra incorruptibilis, immortalis, divina est.

Omnia igitur absurda rationi, quae in Scriptura sunt, possunt ad haec
40 principia redigi, eisque defendi. Quae cum nec ipsa ratio negare possit; falsa est atheorum calumnia, Scripturam penitus cum omni ratione pugnare.

ADMONITIO

De locutionibus, sparsim in parte Clavis utraque occurrentibus,
quae cautum lectorem desiderant.

5 Hae locutiones non sunt unius generis. Quaedam sensum commodum
admittunt, & quandoque apud alios etiam, de peccato originis recte sentientes,
Theologos occurrunt. Aliae vero errorem, quem de peccato originis Auctor
fovit, expresse continent.

Has spero omnes in margine signo  notatas esse: illae vero, quod
commodum sensum admittant, omnes eo  notatae non sunt.

10

(Exempli gratia)

Usus Legis.

15 Quid ergo prodest tam perditio homini, ut hactenus ex Lege depic-
tus est, tam spiritualem ac impossibilem legem proponere? eique vel
promittere ingentia bona, si faciat; vel minari extrema ac durissima, si
non obediat? Respondet Paulus: Hic est finis, haec utilitas Legis, ut hac
15 connexione sententiarum, aut cohaerentia conclusionum, veluti adaman-
tinae quibusdam catenis, omnes sub peccatum concludat; probetque, tum
fructus, tum arborum esse pessimas: non tantum actiones ac qualitates
esse malas; sed etiam ipsam primariam substantiam, nempe animam
20 " rationalem, esse imaginem Satanae longe teterrimam: ut, inquam osten-
dat magnitudinem debiti, injustitiae aut in obedientiae, reatus ac poenarum;
in quae jam homo actuali & originali peccato inciderit: & vicissim im-
mensam magnitudinem justitiae, quam Deo perfectissime praestare de-
beret: sicque cum in agnitionem sui morbi, & extremae miseriae, in qua
25 immersus jacet; & tandem etiam ad ipsissimam contritionem, & despera-
tionem de se suisque viribus, volentem-notentem pertrahat.

These selections are from the Thesaurus Apostolicus
complectens Commentarios in omnes Novi Testamenti
Epistolas et Apocalypsin Iohannis, Wittenberg, 1705,
pp. 3-8, passim.

5

PRAEFATIO
IN EPISTOLAM AD ROMANOS,
DEMONSTRANS
APOSTASIAM

10

HODIERNAE ECCLESIAE ROMANAE,

AB

ANTIQUA, APOSTOLICA, VEREQVE CHRISTIANA RELIGIONE,
FIDE, PURITATE CULTUUM, VITAE, MORUMQVE SANCTIMONIA.

Cum Divus Joannes in Apocalypsi sua cap. XIIX, 4. monstrante Angelo,
15 videt occasum & damnationem meretricis magnae Babylonicae, audit inter
cetera vocem sonantem coelitus, totumque fidelium coetum, his verbis exhor-
tantem: 'Exite de illa, populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, &
de plagis illius ne accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata ejus usque ad
coelum, & recordatus est Deus iniquitatum illius. Reddite illi, sicut & ipsa
20 reddidit vobis, & duplicate ei duplicia, secundum opera ipsius. In poculo quo
miscuit vobis, miscete illi duplum: quantum glorificavit se, & in delitiis fuit;
tantum date illi tormentum & luctum.' Porro id vaticinium de Babylone vene-
ficiis suis seducente Reges terrae, & in ea habitantes populos & gentes, non
nisi de urbe Roma, & quae ab hac denominatur, Romana Ecclesia, intelligendum
25 esse, cum eventus ipse luculentissime testatum fecit, tum vero Angelus com-
monstrans haec Joanni minime dissimulavit, quando ait: 'Et mulier, quam
vidisti' (nimirum celebris illa gentium populorumque fascinatrix & seductrix)
'est Civitas illa magna, quae habet regnum super Reges terrae.' Quae peri-
phrastica notatio tam est aperta, tam illustris, tam legentium animis atque
30 sensibus obvia, ut negari nullo praetextu possit, haec de Roma dici: quippe
quam solam editi hujus oraculi tempore, regnum super Reges terrae seu
Monarchiam orbis tenuisse constat: ex qua etiam velut Antichristi sede memo-
rabilis illa seductio instar rapidissimi torrentis orbem Christianum obruit &
occupavit. Rectissime igitur sibi suisque rebus consuluerunt hactenus, qui
35 juxta commonefactionem coelestem e Romana Babylone sunt egressi, ab illius
idolomania multiplici & errorum veneficiis pia sanctaque secessione facta.
Officium quoque Deo gratum & Ecclesiae salutare faciunt, qui ex Angelicae
concionis praescripto huic purpuratae meretrici Babylonicae non modo par pro
pari referunt, sed mala, quae ipsa intulit Ecclesiae Dei, in illius caput & cer-
40 vicem justa talione conduplicant, & quantum illa sese glorificavit, tantum nunc
tormenti & luctus in sinum illius refundunt ac retribuunt. Etenim quis vere
pius aequa mente vel audire sustineat inauditam illam tyrannidem, qua in Ec-
clesiam Dei sine ulla misericordia Episcopi Romani sunt grassati? dum non
modo edictis & constitutionibus suis conscientias, Christi sanguine redemptas,
45 sibi violentissime subjugarunt; sed etiam errorum confusione horribili anima-
rum funestissimam lanienam tot jam seculis exercuerunt? Certe qui de tot
myriadum sempiterno exitio sic cogitare potest, ut animus ejus inde non com-
moveatur, non perturbetur: is non modo in Religionis negotio frigidus, sed
prorsus impius & profanus sit, necesse est.

Econtra vero, si qui lucem Evangelii, e superiorum seculorum tenebris in hac mundi vespera refulgentem, Ecclesiis e Romana Babylone egressis, summo studio conservatam, illud vero nequitiæ regnum a suis fundamentis eversum cupiunt: hi ut pie recteque sentiunt; ita in ipsorum albo atque numero
5 meum ego quoque nomen incunctanter profiteor. 'Odi' quippe, ut cum Davide loquar, 'Ecclesiam malignantium': odi hostes & osores Dei, qui exortam doctrinae coelestis lucem inveteratae suae impietatis fumo atque nebulis involuere; idolomaniam omnem suam e nostris regionibus optimo jure proscriptam, post-
10 liminio in illas revocare; & Ecclesias in libertatem Evangelii vindicatas, in pristinam, non modo traditionum humanarum, sed etiam 'doctrinarum' (ut Paulus appellat) 'daemoniacarum' servitutem retrahere moliuntur. Quoniam autem inter ceteros colores, quibus se ambitiose pingit, fingit, ac refingit superba vetula Babylonica, non postremus hic etiam est, quod ipse gentium
15 Doctor & Apostolus Paulus peculiari Epistola Romanorum Ecclesiam collaudavit; quod Christianos Romae olim agentes salutavit fratres suos; quod dilectos Dei; quod vocatos Jesu Christi; quod famam fidei illorum toto mundo percrebuisse contestatus est: idcirco hac praefatione lectori pio & amanti veritatis ad oculum demonstrabo, Ecclesiam, quae hodie Romanae Catholicae titulo se venditat, a
20 vetere illa vere Deo dilecta, quam Paulus celebravit, horrenda mutatione plurimum degenerasse. Nam ut urbs Hierosolyma sub Davidis, Salomonis & Josaphati Imperio, augustissima erat divinorum cultuum sedes, omnisque juris & aequitatis domicilium: postea vero in meretricem & sanctorum Dei Prophetarum insignem persecutricem degeneravit turpissime; omnis idololatriæ sentina, omnis crudelitatis & injustitiæ taberna facta, sicut Esaias voce & scripto tra-
25 gice conquiritur: ita quoque Romanae urbis Ecclesia seculorum aliquot decursu a semetipsa sic mutata est, ut quae Civitas olim religiosae pietatis officina, omnisque virtutis & honestatis schola fuerat, nunc religione, fide, puritate cultuum, vitae morumque sanctimonia in perpetuum exilium indignissime relegata, facta sit arx Antichristi Magni, fornicationis utriusque lupanar, receptaculum
30 conjuratae factionis Cardinalium, ceterorumque Clericorum sub Antichristi vexillo militantium; castellum latrocinii animarum; bustum sacrorum & religionum; &, ut Joannes Apoc. X. illam graphice depingit, 'spelunca demoniorum'; & immane quoddam antrum omnis immundi spiritus; omnisque dirae & invisae volucris abominandum lustrum & habitaculum.

35 Quamquam autem mihi difficile non foret, hoc thema ex universa scriptura pertractare, si accuratius id excutere liberet: attamen quia in praefatione modus orationis statuendus est, placet id, ad vanissimam jactantiam Pontificiorum retundendam, hac vice ex sola hac Epistola Romanis inscripta demonstrare. Etsi enim in ipsa libri hujus exegetica enarratione Papistarum com-
40 menta refutavi passim: ad evidentiam tamen veritatis haud parum proderit, quae pro textus Apostolici occasione ibi hinc inde sparsa sunt, hic in succinctam quendam σύνωφιν redigere & contrahere; ut ex contentione disiunctissimarum proprietatum, diversissimorumque dogmatum, immensum infinitumque discrimen utriusque Ecclesiae, veteris olim Romanae, & hujus novae, tanto
45 luculentius orbi terrarum innotescat.

AD DOGMATA venio, quorum collatio Solis meridiana luce clarius evincit, inter veterem Romanam & novam prius non conventum iri, quam nova haec, suis superstitionibus omissis, & plusquam sexcentis erroribus abjuratis, ad primitivae Ecclesiae frugem synceritatemque se receperit.

(a) Fiat initium a SCRIPTURA. Evangelium a se praedicatum & in publicas relatum literas appellat Paulus 'potentiam Dei ad salutem omni credenti', cap. I. Et quae scripta sunt ad nostram doctrinam ait esse scripta; 'ut per consolationem scripturarum spem habeamus', cap. XV. At novi Romanenses dum scripturam literam mortuam, dum Regulam dubiam & in quamvis figuram flexibilem, dum haereticorum librum in suis conventiculis improbe nominant; haud obscure declarant, quam frigide de Majestate sacrarum literarum sentiant: dum se continere non possunt, quin odium occultum suum aut verbis impiis in illam evomant, aut scriptis profanis in lucem proferant. Paulus Evangelium suum (quod voce viva inter gentes praedicavit, & in sacris Epistolis suis apud omnium temporum Ecclesiam sancta fide deposuit) expresse canonem facit ultimi judicii; atque sic vocem supremi judicis. Ita enim cap. II. hujus epistolae: 'Judicabit Deus occulta hominum, juxta Evangelium meum per Jesum Christum'. At vero degeneres isti Romani recentiores, scripturam sive Propheticam, sive Apostolicam non vocem judicis, sed materiam litis, non absque Dei contumelia, esse, blasphemant. Quam pulcra igitur inter hos & priscos Ecclesiae primitivae Romanenses congruentia? quam lepidus consensus?

(b) Jam scripturae totius duae potissimum cum sint partes, LEX & EVANGELIUM; ne quaeso, pigeat videre ecquid hic inter se convenient veta & nova Romana Ecclesia. De Lege scribit Apostolus, 'eam sic infirmari per carnem, ut impleri a nobis haud queat,' c. VIII. Cujus rei exemplum semetipsum, licet Dei Spiritu regeneratus, sistit luculenter, ita scribens: 'Scimus, quod Lex spiritualis est, at ego carnalis sum, venditus sub peccatum.' Et paucis interpositis: 'Velle adest mihi; at, ut faciam bonum, non reperio. Non enim quod volo facio bonum, sed quod non volo, malum, hoc ago. Porro, si quod non volo, ego hoc facio; non jam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Reperio igitur per legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adjunctum sit. Delectat enim me lex Dei, secundum internum hominem, sed reperio legem aliam in membris meis, rebellantem legi mentis meae, & captivum redigentem me legi peccati, quae est in membris meis.' Et sub finem capituli: 'Itaque idem ego mente quidem servio legi Dei: carne vero legi peccati.' Quid vero ad haec tota illa turba Praelatorum Pontificiorum? Hi capitulo undecimo Tridentini Concilii sic concludunt: 'Nemo temeraria illa a Patribus sub anathemate prohibita voce utatur, 'Dei Praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. 'Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, ac adjuvat, ut possis.' Et XIX. Canone ejus capituli: 'Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.' O mirificam utriusque Ecclesiae consonantiam: Non ovum ovo tam possit esse simile, quam hoc Pauli, cum de se justificato pronuntiat: 'velle quidem adesse sibi; at perficere se, quantumvis renatum, reperire apud se non posse': Et deinde illud patrum Tridentini Concilii: 'Deum impossibilia observatu non praecipere; & proinde justificatis Dei praecepta impossibilia non esse.' I nunc, & dic amplius, Pontificios a prisca fide Apostolicae Ecclesiae primitivae recessisse.

(c) In loco de PECCATO quid & quam leviter colluvies scholasticorum Theologorum (quibus adstipulantur plerique Papistae ceteri) antehac scripserint ac senserint, obscurum aut ignotum non est: 'naturalia sc. mansisse

integra, & originale peccatum esse nudam carentiam justitiae debitae inesse; atque sic boni privationem tantum, non etiam positivum in natura malum: haud aliter ac si virgini auferatur fertum, intacta interim permanente virginali ipsius pudicitia. Horum vestigiis insistentes canonum concilii Tridentini fabricatores, 5 de peccato originis, in sanctis seu justificatis reliquo, frigidissime profecto decernunt. Sic enim inveniunt: 'Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli Totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet sed illud radi aut non imputari; anathema sit.' Num autem haec doctrina ex Episto- 10 lae Paulinae fontibus hausta sit, an vero ex turbidissimis Sophistarum lacunis, nullo negotio aestimare possunt, qui caput quintum & septimum vel obiter & per transennam quasi inspexerunt. Certe Paulus originale peccatum, ipsius in nos vitii, tanquam mali positivi & in natura haerentis, propagationem definit: quod tam altas in homine radices egerit, ut ceu virus pestilens ad intimos recessus naturae abditissimaque penetralia & medullas animarum & corporum pervaserit; atque sic universae naturae insederit altissime, ut nec in regeneratis (hoc quidem in seculo) penitus extirpetur: sicut indicio sunt tragicae voces & exclamationes Apostoli Pauli, conquerentis, 'se captivum duci sub legem peccati, eique servire carne.' Quamobrem & cum gemitu exoptat e corporis sui 20 migrare domicilio; ut vel sic ab inhaerente sibi vitio pavitateque liberetur, cap. VII.

(d) Hoc ipso etiam patefit vanitas commentum de ARBITRIO, ut Pontificii appellant, libero. Docent illi, 'superesse homini aliquam, movente Deo, cooperandi δύναμιν, quae ad obtinendam justificationis gratiam homo se praepararet ac disponat.' Sed quia ex modo dictis patuit, tantam esse originalis peccati vim, etiam in regeneratis, ut Paulus, voluntatem ad bonum jam renatam liberatamque obtinens, nihilominus cum gemitu fateatur, se, ut perficiat bonum, quod velit, neutiquam invenire: quin captivum se duci sub servitutem peccati: quid ergo statuendum erit de voluntate nondum conversa aut regenerata? quam huic obsecro, vim, quas facultates dicimus ex funestissimo lapsu protoplastorum mansisse reliquas, quibus vel ad futuram conversionem se disponat, vel in ipso conversionis actu trahenti Deo, ex se quisque viribus assentiatur & cooperetur? Et quid possit homo afferre ad sui regenerationem, ex universo conatu naturae suae? Cujus πρόννημα sensum & facultatem, 35 Divus Apostolus noster nil nisi Inimicitiam adversus Deum atque legem ipsius esse, ex Spiritu sancto pronuntiat? cap. VIII. Unde internam circumcisionem cordis seu conversionem Spiritu constare perhibet, non litera; & ex Deo, non hominibus esse laudem ejus, quam cum humani arbitrii conatu aut viribus Deus neutiquam partiatur.

(e) Sed ut pergamus incultam istam horridamque sylvam errorum Papistarum succidere: de CONCUPISCENTIA quid videatur Apostolo: vel hinc perspicuum evadit, quod septimo capite scribit: 'Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset: Non concupisces.' Inter peccata igitur illam rejicit, & peccati loco atque numero vult habendam. Hoc Apostoli pronuntiatum Catholicum Pontificii in nobis, ut haereticum, anathematis fulmine feriunt; sic ex capitis sui cerebro concludentes: 'Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, &

ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. ' Quid
 vero est doctrinam Apostolicam de ponte, quod ajunt, praecipitem agere, &
 damnationis atro tetroque notare calculo, si hoc non est? Apostolum de pec-
 cato proprie sic dicto, illic loci agere omnes circumstantiae convincunt. Agit
 5 enim de peccato, quod per legem cognoscitur, hoc est, quod lege Dei inter-
 dictum vetitumque deprehenditur: quemadmodum & concupiscentiam lege pro-
 hiberi, ex Decalogo demonstrat. Jam vero quod divina lege prohibetur, id
 tanquam aeternae Dei voluntati adversum & inimicum damnatur. Quare non
 potest non, juxta peccati verissimam propriissimamque definitionem, in clas-
 10 sem peccatorum redigi. Quandoquidem peccatum, significatu proprio sumtum,
 rectius definiri non potest, quam quod sit ἀνομία , ut & Joannes scribit: hoc
 est, quicquid per se & respectu sui ipsius, aeternae voluntati Dei repugnat.
 Concupiscentia vero, si maxime nullum unquam aliud de se peccatum gigneret:
 tamen quia prohibetur lege Decalogi, atque sic adversatur immutabili justitiae
 15 Dei; per se vere proprieque peccatum sit oportet. Sed praeter hanc immotam
 ἀπόδειξιν , en tibi demonstrationem alteram non minus invictam. Apud om-
 nes in confesso est, peccati proprie sic dicti nomen effugere non posse, quic-
 quid aeternam promeretur mortem, omnisque generis maledictiones hominibus
 accelerat. Hanc quippe θέσιν nobis confirmat Paulus noster cap. VI. quando
 20 mortem ait 'stipendium esse peccati'. Ubi de peccato propriissime sumto agi,
 ne quidem Adversarii dubitare possunt. Hoc itaque sic extra disceptationis
 aleam posito, concessoque: nunc θέσει ὑπόθεσιν , Majori, ut in scholis
 vocant, Minorem subjungo, ipsam quoque cunctis legionibus atque copiis Pon-
 tificiorum inexpugnabilem; nempe quod praeceptum de vitanda concupiscentia
 25 non minus, quam reliqua omnia singulaque annexam habeat interminationem
 maledictionis & mortis. 'Maledictus enim' (inquit Moses Deut. 27.) 'qui non
 permanserit in Omnibus', Omnibus, 'que scripta sunt in libro Legis'. Proinde
 maledictus etiam, qui non permanserit in Legis nono & decimo praeceptis:
 'Non concupisces'. Judicet ergo coelum & terra; judicet electa Christianorum
 30 Ecclesia, num hoc sit sartam tectam retinere fidem Apostolicam, quam Paulus
 suis Romanis scripto tradidit, ipsique tanquam indubiam veritatem religiose
 sunt amplexi: Hi vero Antichristi manipulares in suo conciliabulo scelerata
 voce canoneque minime canonico damnarunt.

The following is from the Compendium Locorum Theologicorum, edited by Wolfgang Trillhaas, Berlin, 1961, pp. 80-85.

5

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS
DE ECCLESIA

1. Estne aliqua his in terris Ecclesia?

Maxime est: Neque enim vel Epicuream et profanitatem, DEUM nulla rerum humanarum cura affici, somniantem: vel Pyrrhonicam
10 eorum pseudo-Theologiam probo, qui totum mundum Ecclesiam esse autumantes, quemque in sua fide atque religione salvari posse, impie delirant. Neque tamen Platoniam aliquam civitatem somnio, sed statuo existere Ecclesiam, videlicet, aliquos vere credentes ac iustos, sparsos per totum orbem.

2. Habesne certum aliquod assertionis huius tuae fundamentum?

15 Habeo: nempe immotas promissiones DEI, quales sunt Esa. 55, 10. 'Sicut descendit imber et nix de coelo, et illuc non revertitur, sed inebriat terram, et germinare eam facit: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur illud vacuum, sed faciet, quaecunque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud.' Et cap. 59, 21: 'Hoc est foedus meum cum
20 eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, a modo et usque in aeternum.'

3. Quid significat vox Ecclesiae?

Proprie nihil aliud significat quam congregationem. In Symbolo autem
25 nostro definitur per communionem sanctorum, hoc est, eiusmodi communionem, in qua sancti versantur, Eine Gemeine der Heiligen, aut adhuc significantius, Eine heilige Gemein: non vero Ein Gemeinschafft der Heiligen.

4. Haec Ecclesia unane est, an multiplex?

Una est: Sic enim Paulus: 'Unus est Spiritus, una spes vocationis, unus fides, unum Baptisma, unus DEUS, et pater omnium.' Eph. 4.

30

5. Ergone Ecclesia simpliciter non potest in species distingui?

Per Essentiam Ecclesia vera semper una est, neque in species distingui potest. Quia autem hac in vita multa accidunt Ecclesiae verae, ideoque respectu accidentium et circumstantiarum, vel etiam ratione externae formae, distinctionem admittit, sed per accidens tantum.

35

6. Velim has ipsas distinctiones expedias?

Quia praedixit Spiritus Sanctus falsos fore Prophetas, Matth. 24: ideo

distinguitur Ecclesia in veram et falsam sive malignantium, Psal. 26, 5.

7. Suntne Impii membra Ecclesiae verae?

Sunt quidem membra Ecclesiae secundum externam societatem signorum Ecclesiae, hoc est, verbi, professionis, et Sacramentorum, praesertim si non
5 sint excommunicati. Quia vero Ecclesia vera non tantum est societas exter-
narum rerum ac rituum, sicut aliae politicae: sed principaliter est societas
fidei et Spiritus Sancti: respectu suius societatis, haec Ecclesia sola dicitur
corpus Christi: ideoque illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra
Christi: ac proinde neque membra verae Ecclesiae.

10 8. Suppetitne alia tibi ratio?

Utique: Quia enim Ecclesia vera est regnum Christi, distinctum contra
regnum diaboli: certum autem est impios, in potestate Diaboli, et membra
regni Diaboli esse, sicut docet Paulus, Eph. 2, 2. cum ait: 'Diabolum ef-
ficacem esse in incredulis', certe hinc sequitur, impios, cum sint in regno
15 Diaboli, non esse Ecclesiae verae membra.

9. Num alia quoque distinctio Ecclesiae verae accidit?

Accidit ea, quae Ecclesiam veram considerat secundum loca et status.
Hoc enim respectu Ecclesia vera dividitur in 'Triphantem', quae complecti-
tur Electos DEI iam in coelesti vita degentes: et in 'Militantem', quae com-
20 plectitur Electos adhuc in his terris, sub vexillo Christi, adversus Diabolum,
mundum et carnem militantes.

10. De triumphante iam nihil moveo: De militante quaero. Num
ea aliam distinctionem admittat?

Admittit, id quod patet ex superioribus. Si enim externam societatem
25 signorum ac rituum Ecclesiae respicias, Ecclesia militans dicitur esse visi-
bilis, et omnes eos complectitur, qui versantur in coetu vocatorum, sive sint
pii, sive impii, sive Electi, sive reprobi. Si vero Ecclesiam consideres,
quatenus est societas fidei et Spiritus Sancti IN CORDIBUS fidelium habitantis:
eatenus certe dicitur Invisibilis, et Electorum propria.

30 11. Num forte visibilis Ecclesia rursum potest subdistingui?

Potest in particularem sive Topicam: et in Universalem sive Catholicam.
Particularis dicitur, quae unius est loci. Universalis sive Catholica, quae per
totum orbem sparsa est, et sub se comprehendit omnes homines, qui per ver-
bum et Sacramenta ad regnum Christi vocantur.

35 12. Siccine hoc uno respectu Ecclesia dicitur Catholica?

Non: sed Catholica etiam dicitur respectu unitatis in fide et religione:
ita quidem ut Catholica Ecclesia dicatur esse eorum, qui licet per totum or-
bem hinc inde sint dispersi, tamen de doctrina Evangelii consentiunt, eundem
habent Christum, eundem Spiritum Sanctum, eadem Sacramenta, eandem fidem,

eandem religionem puram et incorruptam: sive habeant easdem traditiones humanas, sive dissimiles.

13. Quantum intelligo, statuis Ecclesiam esse et dici unam, praecipue respectu fidei?

5 Recte colligis: Ad veram enim Unitatem Ecclesiae satis est consentire de doctrina Evangelii, et administratione Sacramentorum, ita quidem, ut quotquot coniunctione fidei, et Spiritus vinculo sunt consociati, unitate ista contineantur.

10 14. Annon vero Unitas Ecclesiae aestimanda etiam est rituum aut ceremoniarum similitudine sive conformitate?

Non: sicut dissimilia spacia dierum ac noctium non laedunt unitatem Ecclesiae: Ita non laeditur vera Ecclesiae Unitas dissimilibus ritibus, institutis ab hominibus: neque etiam una Ecclesia propter ceremoniarum dissimilitudinem, alteram condemnabit: si modo in doctrina et omnibus illius articulis, atque in legitimo Sacramentorum usu sit inter eas consensus: Vetus enim et memorabile dictum est: 'Dissonantia ieiunii non dissolvit consonantiam fidei.'

15 15. Profitemur in symbolo nos credere Ecclesiam sanctam: qua ergo in re consistit sanctitas Ecclesiae?

20 Non certe consistit in amiculo linteo, in insigni verticali, in veste talari, et aliis pontificiorum ceremoniis, praeter Scripturae auctoritatem excogitatis: sed partim in impetrata per fidem sanctitate et iustitia Christi, partim vero in renovatione et sanctificatione cordium per Spiritum Sanctum. De utraque sanctitate agit Apostolus Eph. 5, 25: 'Christus dilexit Ecclesiam, et se tradidit pro ea, ut eam sanctificet, purificans lavacro aquae per verbum, ut exhibeat eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid tale, sed ut sit sancta et inculpata.'

16. Si eo, quo iam dixisti, modo sancta est Ecclesia, falsum erit, quod supra concessisti, nempe multos impios et hypocritas esse admixtos Ecclesiae?

30 Imo vero malos, impios et hypocritas semper admixtos esse Ecclesiae, vel parabola illa Christi satis evidenter arguit, ubi Ecclesiam similem esse dicit sagenae sive reti, quo omnis generis pisces colliguntur, quorum in littore demum, hoc est, in fine mundi futura sit segregatio. Matth. 13, 47. Sed quamquam hi sunt socii verae et sanctae Ecclesiae, secundum externos ritus, tamen non sunt membra illius Ecclesiae, uti supra ostensum.

35 17. Esto hoc: Illud tamen alterum ex sanctitate hac Ecclesiae patebit; nempe eam errare non posse?

Sic quidem Pontificii colligunt: et quod ad veram Ecclesiam pertinet, quod videlicet sit columna veritatis, quodque non erret, illud ad suam Ecclesiam illi vitiose transferunt.

18. Ergone errare potest Ecclesia?

Potest: Etsi enim Ecclesia promissionem habet, quod semper sit habitura Spiritum Sanctum: tamen habet etiam comminationes, quod sint futuri impii Doctores et lupi, qui, si fieri queat, in errorem inducant, ipsos electos.

5 19. Clarius hoc velim explices?

Sic ergo statuendum est, errare non posse Ecclesiam, si totam ac universam, sive Catholicam Ecclesiam respicias. Haec enim habet infallibilem promissionem de Spiritu Sancto inducturo eam in omnem veritatem, Ioh. 16, 13. Habet item promissionem, quod portae inferorum adversus eam non sint praevaliturae, Matth. 16, 18. quod futura sit columna et fundamentum veritatis, I. Tim. 3, 15. Caeterum quoad hanc vel illam particularem Ecclesiam, imo quoad maximam etiam eius partem, errare potest Ecclesia, imo enormiter erravit saepissime: id quod patet exemplo Ecclesiae tempore diluvii, tempore Eliae Prophetae, tempore nati Christi, tempore Arianismi, per totum orientem Ecclesias occupantis.

20. Cur statuis totam Catholicam Ecclesiam non posse simul errare?

Quia, si tota Catholica Ecclesia erraret, tum etiam tota periret: imo sic portae inferorum adversus eam praevalerent: id quod cum promissione Christi, Matth. 16, 18. pugnaret: ubi dixit: 'Tu es Petrus: et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non praevalerunt adversus eam.'

21. Ergone statuis Ecclesiam duraturam ad finem usque mundi?

Maxime statuo. Etsi enim infinita est multitudo impiorum in ipsa Ecclesia, qui eam opprimunt: tamen firmiter statuendum, Ecclesiam perpetuo mansuram, et Christum praestiturum Ecclesiae, quae promisit, remissurum peccata, exauditurum preces, daturum Spiritum Sanctum: secundum promissiones illas, Matth. 16, ver. 18. 'Portae inferorum non praevalerunt adversus Ecclesiam: et cap. 28, 20: Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.' Quid? quod Ecclesia est corpus, cuius caput Christus est: desineret ergo Christus esse caput Ecclesiae suae in his terris, si ea posset tota interire.

22. Quas constituis notas verae Ecclesiae?

Duas constituo: nempe puritatem doctrinae coelestis: et legitimum Sacramentorum usum.

23. Proba utramque notam ex Scripturis?

35 De priori ait Christus Ioh. 10, 16: 'Oves meae vocem meam audiunt,' et Ioh. 8, 31: 'Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis;' Ioh. 15, 3: 'Iam vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis.' Posteriorem notam expressit Apostolus nominans sacramenta $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\acute{\iota}\delta\alpha\varsigma$ sive signacula iustitiae fidei, Rom. 4, 11.

24. Quid igitur est Ecclesia vera?

Ecclesia vera est congregatio Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, et Sacramenta rite administrantur.

5 Vel: Ecclesia visibilis in hac vita, est coetus visibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu Filius DEI efficax est, et voce Evangelii et Spiritu Sancto multos regenerat ad vitam aeternam: Sunt tamen in eo coetu multi alii non sancti, sed tamen de doctrina et externa professione consentientes.

These selections are from the Commentarius in Omnes Epistolas Pauli, Wittenberg, 1655, pp. 814-818, passim.

GALATIANS 4. 4-5

5 At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex mul-
liere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem
filiorum reciperemus, vers. 4, & 5. Primum notat tempus, quando tutela illa
parvulorum cum adjacente servitute abrupta fuerit. Fuit hoc tempus incarnat-
tionis Filii Dei, quod vocat πλήρωμα τοῦ χρόνου, plenitudinem temporis,
10 seu plenum tempus, usitato Hebraismo, partim quia fuit illud tempus initium
Novi Testamenti, quod alias vocatur consummatio seculi, Hebr. 9 vers. 26. &
novissima hora, I. Iohan. 2, vers. 18 partim quia decretum Dei & vaticinia
Prophetarum de adventu Messiae tunc suum habuere complementum: partim
etiam quia gaudium piorum tunc fuit completum: cum enim olim tantum desi-
15 deria haberent Messiae futuri, jam laetari possunt de exhibito. Incidit autem
illud tempus mundi juxta Chronologiam Funcii in annum mundi 3964. & tamdiu
Ecclesia sub tutoribus fuit, rudimentis legum onerata, donec tempus libertatis
& emancipationis advenit. Deinde notatur is per quem facta est emancipatio.
Fuit is Filius Dei a Patre missus in carnem, quae missio complectitur volun-
20 tatem & mandatum Dei Patris de assumenda carne, & in ea expediendo opere
redemptionis. Modus missionis non fuit usitatus, quemadmodum angelos
ablegavit, aut Prophetas misit ad annunciandam voluntatem suam: sed plane
μονότροπος καὶ ἐξάίρετος singularis & eximius. Misit enim Filium
suum factum ex muliere: non dicit natum, sed factum, quia ex substantia
25 mulieris carnem suam adsumpsit: mulierem autem semper virginem Beatam
Mariam esse, ex aliis scripturis notum est, Esai. 7, vers. 14. Matth. 1,
vers. 23, Luc. 1, vers. 31. Ideo autem ex muliere factus, seu verus homo
natus est, ut etiam sub lege fieret. Est autem sub lege esse, legi obnoxium
esse, & ad servandum eam obstrictum. Hoc cum in Christum propter seipsum
30 non caderet, quippe qui Dominus legis erat, ideo sub lege factus dicitur, quia
ex decreto Patris sponte in se hanc servitutum recepit. Factus autem est sub
lege quatuor modis. (1) quia natus est ex populo subjecto legi, seu stante
politia Mosaica, & sic fuit sub lege politica (2) quia fuit circumcisis, sic
erat sub lege ceremoniali. (3) quia per omnia legi Mosaicae fuit subjectus in
35 omni vita sua. Sic fuit sub lege morali. (4) quia subjectus fuit paenis legis,
quae nobis debebantur. Etiam hoc modo fuit sub lege morali. Et hic modus
nostrae emancipationis esse debuit: nam per obedientiam suam activam &
passivam legi perfecte praestitam nos ab observatione legum ceremonialium,
a rigore, terrore & damnatione legum etiam moralium liberavit. Et haec
40 causa sui in carnem adventus, & spontaneae obedientiae praecipua additur:
ut eos, qui sub lege erant, redimeret. In graeco utitur verbo ἐξαγοράσῃ,
quod est soluto pretio aliquid non tantum emere, sed redimere, ita ut hac
redemptione ab onere aliquo liberetur. Fuit ergo obedientia Christi λύτρον
illud & pretium redemptionis nostrae, cujus intuitu Deus emancipavit, & libe-
45 ros dimisit, qui sub lege erant, non tantum sub lege ceremoniali, verum etiam
sub maledictione & rigore legum moralium. Et haec est prima causa obedi-
entiae Christi. Altera est, ut nos adoptionem filiorum reciperemus. Notanter
dicit, ut reciperemus adoptionem, non ut adoptaremur in filios: Nam & Patres

adoptati erant in filios Dei per fidem in venturum Messiam, sed erant adhuc filii parvuli, sub elementis mundi tanquam sub tutoribus: per adventum vero Christi in carnem obtigit nobis demum vera possessio & libera illius adoptionis usurpatio, tanquam filiis adultis, qui non amplius servitute ceremoniarum legalium, nec rigore legis moralis oneramus. Haec erat similitudo Pauli, qua abrogationem in primis ceremoniarum legalium per Christum factam declaravit. Iam ne hoc solis Iudaeis contigisse videatur, applicat illa emancipationem ad Galatas, quibus Pseudoapostoli onus illud legale denuo imponere volebant:

10

QVAESTIONES EX HAC
PARTE.

QVAESTIO I.

15

Rectene ex loco Pauli nostri vers. 4. de missione Filii in plenitudine temporis probatur, aliam insuper esse in Christo naturam, quam humanam?

20

Resp. Contra eos, qui Christum, antequam nasceretur ex Maria, extitisse negant, recte disputatur ex hoc loco Apostolico. Nam qui mittitur, eum existere oportet, antequam mittatur. Christus cum ex muliere nascitur, a Patre aeterno missus dicitur. Ergo existere eum oportuit, antequam nasceretur. Extitit autem non secundum humanitatem, quae tum nondum erat, sed fiebat: ergo habuit aliam insuper naturam praeter humanam, quae non fuit alia, quam divina.

QVAESTIO II.

25

Quomodo Christus factus est sub lege vers. 4, cum tamen sit Dominus legis, quemadmodum filius hominis Dominus sabbati appellatur Matth. 12, 8?

30

35

40

Respond. Principio sciendum est, non esse hic quaestionem praecipue de lege ceremoniali & forensi, quae ad politiam Iudaicam spectabant, quibus Christus subditus fuit, ut civis istius Reipublicae, & semen Abrahae: sed lege morali, cui cur Christus fuerit subjectus, Apostolus ipse respondet, cum ait, Christum ideo factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Quid ergo hoc in genere a Christo factum, non ex debito aut conditione naturae suae, sed ex dispensatione factum est, siquidem nos aliter redimi non poteramus, nisi legi ex asse satisfaceret, tam quoad obedientiam, quae nobis deerat, quam quoad paenam, quam meriti eramus, sed sine aeterno animae detrimento sustinere non poteramus. Vtroque ergo modo Christus sub lege factus est, tam quoad obedientiam, quam quoad paenam, ut nos redimeremur. Neutrius autem ipse erat debitor: non obedientiae, quia ipse natura sanctus & impollutus erat, non opus habens norma vivendi, quia sibi ipsi norma erat & regula viva, sponte subjectus creatori suo: juxta legem tamen obedientissime vivere voluit, ut hac sua obedientia nostram inobedientiam expiaret, quem admodum Paulus declarat Roman. 5 vers. 19. Et hoc sensu ipse dicit, se venisse, non ut solveret legem, sed ut impleret, Matth. 5. 18. respiciens ad officium Redemptionis, ad quod missus erat in mundum, ad quod impletio legis requirebatur.

APHORISMI THEOLOGICI EX
HAC PARTE CAPITIS

Summa doctrinae de Christo traditur, vers. 4. & 5. Divina ejus natura probatur inde, quod Dei filius appellatur, non creatus, ut Angeli, non adoptatus, 5 ut fideles, sed genitus ab aeterno ex Patris essentia, quemadmodum Psalm. 2. vers. 7. & Hebr. 1. vers. 5. declaratur. Est ergo naturalis Dei Filius, quia Deus non nisi Deum ex sua essentia gignere potest: discernitur tamen ab ipso 10 characteristicam proprietate, quia filius dicitur, ergo DEVS genitus est, & is, a quo gignitur, Pater est, alia persona a filio realiter distincta. Humanam ejus naturam explicat illud, quod factus est ex muliere, in plenitudine temporis: 15 homo est, quia a muliere est, homo sine patre est, quia tantum mulieris fit mentio; ideo mulier haec in Scriptura Virgo vocatur Esaiae 7. vers. 14. quae non cognovit virum Luc. 1. vers. 31. nec tamen ex virgine, sed ex muliere, quia virgo illa erat desponsata viro Matth. 1. vers. 23. substantiam suam non 20 de coelo attulit, sed ex sanguinibus Beatae matris accepit, quia non natus, sed factus de muliere dicitur: quod alibi in Scriptura ita exprimitur, semen Abrahae adsumsit, & participavit carne & sanguine sicut pueri Hebraeor. cap. 2, vers. 14 unde & fructus ventris matris suae appellatur, Luc. 1 vers. 42. Unio harum 25 duarum naturarum in unam personam notatur, quod non duo filii, sed unus filius nominetur, qui tamen & Dei filius, & de matre factus dicitur, quia filii nomen personae est: in Christo autem una tantum persona est, ergo & unus filius: unde B. Virgo Maria haud immerito θεοτόκος appellatur, quia Filius Dei ex ipsa factus esse scribitur. Haec uno duarum naturarum non casu facta, sed ex decreto Patris aeterni, ideo misisse Filium dicitur in plenitudine temporis, 30 quemadmodum ab omni aeternitate constituit, & per Prophetas praedixit, quod Zacharias in suo hymno celebrat, Luc. 1. Nota autem, quod Filii titulus est nomen concretum, & Christo non ratione essentiae, sed ratione personae tribuitur. Dicitur autem Filius Dei primo & per se respectu divinae natura, quia persona huic naturae primo & per se convenit: sed per gratiam unionis dicitur 35 etiam ita respectu humanae naturae. Communicatio quoque idiomatum hic agnoscitur, (1.) Genus vocatur ἰδιοποιία, quando proprium unius naturae tribuitur alteri in concreto, ita proprium humanae naturae est, fieri ex muliere, quod hic de Filio Dei dicitur. (2.) Vocatur κοινοποιία ubi actiones officiorum utrique tribuuntur naturae, faciente utraque natura, quod suum est, cum 40 communionem alterius, sic Filius Dei factus ex muliere, i. e. totus Christus dicitur redimere eos, qui sub lege erant. Redemptio est ἀποτέλεσμα totius personae, in se divinum opus, factum tamen eo, quod Christus se subiecit legi, quod secundum humanam naturam fecit, qua Patri obediens factus est usque ad mortem crucis Philip. 2. Secundum hoc genus communicationis praesupponit 45 tertium (3.), in quo dona majestatica λόγου communicantur carni: nunquam enim Christus homo posset appellari redemptor & liberator noster, nisi potestatem illam nos redimendi & liberandi a male dictione legis accepisset. Ita habemus descriptionem personae Christi in hoc textu. Officium ejus non minus clare describitur: nam redemptio a lege, acquisitio υἰοθεσίας, & donatio Spiritus sancti ei expresse tribuitur.

* * * * *

The following selections are from the Tractatus de Casibus Conscientiae, Frankforth, 1654, pp. 639, 764, 837, 910, 943.

5 Num quis illaesa conscientia balneis interesse potest, in quibus viri foeminaeque promiscue lavant?

Responsio: Nuditas corporis in sese inhonesta non est. Deus enim hominem nudum condidit, habentem pro veste sanctitatem ac justitiam. Primi quoque homines in statu innocentiae nuditate sua non offendeantur: 'erat uterque nudus, et non erubescabant,' inquit, Moses Gen. 2. v. 25.

10 Lapsus autem hominis naturam ejus corrumpit, affectibusque vitiosis replevit, ut homo hominem, praesertim alterius sexus, vix absque peccato, nudum adspicere possit.

15 Quae cum ita sint, mirum est, quod in quibusdam locis Germaniae tollerentur promiscua virorum & mulierum balnea, cum tamen ea consuetudo facile mutari queat.

Fieri quidem potest, ut mos iste diuturnitate temporis minuat libidinem, quemadmodum Larius in descriptione Americae affirmat, vagas libidines non tam ab Americanis nudis foeminis, inter quas continuo alicui conversandum est, excitari, sed eas in simplici & naturali sua nuditate potius excusandas, 20 minusque lascivis moribus esse, quam Gallicas mulierculas, quae elegantibus, & exquisitis vestibus & ornamentis superbire solent.

Quidquid autem sit, nisi animus fuerit continentissimus, per oculos facile influit ex nuditate objecti incentivum libidinis.

25 Etsi enim affectibus suis aliqui etiam in ista conversatione cum mulieribus temperare possunt: non tamen datum hoc est omnibus: aliis autem lascivioribus non est danda occasio libidinum, & simpliciter omne, quod inhonesti alicujus speciem habere potest, a piis alienum esse solet.

Potestne minister verbi legitime vocatus abdicato ministerio verbi ad officium aliquod scholasticum se conferre?

30 Responsio: Locum hic merito habet pervulgatum illud: finibus pensantur officia. Nihil ergo hic faciendum turpis lucri aut otij causa; sed si minister ecclesiae videt se dona ad docendum in ecclesia habere sufficientia, ab ecclesia libenter audiri & amari, magnoque cum fructu & aedificatione auditorum suorum in ecclesia docere posse, minime mutare locum debet aut officium, etiamsi in 35 functione aliqua scholastica, & quiete & salario majore frui posset. Semper enim hic insonare debet illud Apostoli Petri, quod in ordinatione sua ei praedictum fuit: 'nihil facientes turpis lucri causa, sed ex animo' 1. Pet. 5. item illud Christi: 'qui manu ad aratrum admota, respexerit, non est me dignus' Luc. 9. v. 62. & illud Apostoli Pauli: 'unus quisque in qua vocatus est vocatione, in ea maneat' 1. Cor. 7. v. 17.20. & quod in Apocalypsi legitur: 'esto 40 fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae' Apoc. 2. 10.

Si quis vero animadvertit, se non sufficientia habere dona, nec libenter audiri, sed potius in odium auditorum absque sua culpa incidisse, ad labores etiam scholasticos magis aptum, & promptum esse, is, si talis vocatio ad munus scholasticum ei obtingat, bona cum conscientia eam accipere posset.

5 Magna enim est cognatio inter officia ecclesiastica & scholastica: quin & scholae parvae sunt ecclesiae, multique doctores ecclesiastici simul in scholis laborarunt, ut Propheta Samuel scholam habuit in Ramatha I. Sam. 7. v. 17.

Caveat modo ita vocatus, ne tantum propter otium aut salarium functionem ecclesiasticam mutet in scholasticam, neque etiam electionem sacram omnino
10 negligat, sed in ea se & juventutem suam diligenter exerceat; ita tranquilliori cum conscientia laboribus scholasticis perfungi potest.

Num minister ecclesiae scelera capitalia in confessione sibi concredita magistratui aut aliis aperire tenetur, ut puniantur?

Responsio: Minime. Nam quae in confessione ministro ecclesiae quasi
15 in aurem dicuntur, instar arcanissimi depositi habenda sunt: quia fit confessio non homini, sed Deo: neque instituitur in actu confessionis inquisitio judicialis arcanorum, sed conscientis consulitur, quae mole peccatorum confessione sua se exonerant, & efficax solatium quaerunt.

Etsi ergo magistratus a ministro ecclesiae exigat, quidnam in confessione
20 audierit, non tamen ea, quae sibi sunt sub sigillo confessionis commissa, revelare debet.

Neque enim confessionarius est minister magistratus, per quem hominum delicta resciscat, sed minister Dei est, cujus etiam personam agit in actu confessionis.

25 Praeterea, si qua persona occulte adhuc peccavit, & illibatae famae est, non decet ministrum ecclesiae famam ejus laedere, etiamsi in confessione delictum ejus resciscat: satis est eam hortari ad seriam poenitentiam, & emendationem vitae. Hinc in jure canonico sancitum est, ut sacerdos deponatur, qui peccata poenitentis publicare praesumit.

30 Peccantne matres, quae liberos suos proprio lacte non alunt?

Responsio: Si justa de causa hoc faciant, non peccant: justa autem causa est (1.) Imbecillitas matris, cum vel defectus est in uberibus, vel corpus matris ita attenuatum, ut vix sine vitae dispendio lac praebere possit; (2.) Inopia matris, ita ut non habeat, unde sibi victum sufficientem procuret.
35 (3.) Nobilitas matris, cum adeo illustris est familiae, ut dedecori ipsi esset, si contra receptam consuetudinem talium personarum liberos proprio lacte nutriat.

Addunt Pontificij etiam hanc causam, quando mortuo viro, vel divortio facto, mulier est in monasterium ingressa, ut vitae studeat religiosae. Sed
40 nugae sunt.

Nos priores duas causas pro maxime probabilibus habemus, praesertim si nutrices loco matrum haberi queant probae notae. Extra eas non suademus, ut mater infantem suum alteri foeminae lactandum tradat. Providentia enim Dei fecit cum ipso partu alimoniae copiam nasci; cujus non est usus alius,
5 quam nutriendis liberis: & ideo duo data sunt ubera matribus, ut si mater uno partu gemellos edidisset, uterque haberet alimenti sui fontem ut Plutarchus loquitur in opusc. de liberis educandis.

Verisimile etiam judicant sapientes, matres illas non magno complecti amore liberos, quos mox post partum abjiciunt, & proprio lacte alere detrec-
10 tant.

Adde, quod periculum sit malae educationis, si infantes in luxuriosas & protervas incidant nutrices, quarum mores una cum lacte fugunt. Quemadmodum enim si ovium lacte haedi, aut caprarum agni alerentur, constat, ferme in his lanam duriolem, in illis capillum gigni teneriolem: ita ad mores infantum
15 formandos multum facit ingenium & proprietas lactis, ut Phavorinus Philosophus apud Gellium ea de re disputat (lib. 12. noct. cap. I.) quae unica ratio sufficere debebat illustribus matronis, ne sobolis sui lactationem vulgaribus foeminis committerent.

Ad haec omnia accedunt exempla scripturae, ubi legitur, non tantum Saram suum lactasse Isaacum Genes. 21. v. 7. sed & matrem illam Domini, qua nulla unquam nobilior aut illustrior fuit, Iesulum suum Luc. 11. v. 27.

Sed consuetudo hodie invaluit, ut etiam mediocris fortunae homines dedecus esse putent, si priorum liberorum sint nutrices: quae an non, quantum in ipsis est, contra naturam & consuetudinem sanctarum matronarum
25 faciant, saepe etiam liberis morbos & mores corruptos insciae concilient, ipsis cogitandum relinquo.

Quis est observandus ordo in dandis eleemosynis?

Responsio: Eleemosyna est fructus caritatis Christianae. Caritas autem est ordinata, & incipit a seipsa. Fieri potest, ut & parentes ad paupertatem
30 redigantur, liberis florentibus: ab illis ergo merito fit initium, quorum 'eleemosyna non erit in oblivione' Sir. 3, 15.

Inter parentes primum habet locum pater, qui prior etiam juvandus, quam mater.

Deinde sequuntur liberi, quibus prius debentur eleemosynae, quam uxori,
35 licet extreme indigenti.

Postea sequuntur, fratres, sorores, et alij sanguine nobis propius conjuncti. 'Qui enim suorum curam non habent, deteriores sunt Ethnicis' I. Tim. 5, 8.

Huc pertinent etiam domestici, & quicumque nobis aliqua ratione conjuncti
40 sunt: hi prius eleemosynis juvandi sunt, quam extranei: ut & debitor potius

juvare debet creditorem ad paupertatem redactum, quam alium, nisi ipse quoque extrema necessitate laboret.

Denique sequuntur extranei, inter quos tamen praerogativam habent religionis nostrae socij, quemadmodum scriptum est: 'dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maxime autem ad domesticos fidei' Gal. 6. v. 10.

Ad extraneos pertinent etiam mali, & beneficiis nostris indigni: his quoque egentibus non est deneganda eleemosyna, quia vult Christus 'nos diligere etiam inimicos.' Matth. 5. quin imo, si malus in extrema sit necessitate, juvandus etiam est a nobis prae caeteris, quia hoc in genere magis ad indigentiam, quam indignitatem ejus respiciendum est.

Etsi autem necesse non est, in aliorum indigentiam operose inquirere; si tamen ea in oculos incurrat, & ineptitudo ejus ad labores publice nota sit, pro tali habeatur, qui nostro egeat auxilio: sin vero malitiose paupertatem simulat, cum laboribus victum acquirere possit, tunc ad dandum ei nemo obligatur: neque enim liberalitas nostra aliorum confirmare debet nequitiam.

JOHN GERHARD (1582-1637)

5 These selections are from the Meditationes Sacrae,
London, 1842, edited by S. Guenther. The initial
selection is a biography of Gerhard by the editor, p.
V, ff. The second selection is Gerhard's dedication
to the first edition, p. XXII, ff. These are followed
by three meditations, p. 62 ff., p. 66 ff., p. 73 ff.

PRAEFATIO.

10 Inter theologos, qui post sacra per Lutherum restaurata de Ecclesia
evangelico-lutherana stabilienda et promovenda optime meriti et rebus gestis
scriptisque immortalis nominis gloriam assecuti sunt, referendus est Joannes
Gerhardus.

Natus est Joannes Gerhardus Quedlinburgi anno MDLXXXII die XVII
15 Octobris, illo ipso anno eodemque mense, quo mutatio calendarii a Gregorio
XIII. P. R. facta est. Patre usus Bartholomaeo Gerharo, Patricio Qued-
linburgensi et aerarii senatorii Praefecto; matre Margaretha, filia Joannis
Berndesii, Scabinatus Halberstadiensis Assessoris. Ab his parentibus ex
20 primis incunabulis in timore Dei educatus et ad pietatem bonosque mores in-
formatus est. Literis, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet,
imbutus est in schola patria, quae tum temporis sub auspiciis Henrici Fabri
Rectoris florebat. Quum a Deo eximiis ingenii dotibus instructus esset et mul-
tum industriae atque diligentiae in studio literarum humanarum adhiberet, op-
25 timos fecit progressus. Sed in hoc felici studiorum cursu aliquamdiu impeditus
est. Annum enim aetatis agens quintum decimum incidit in morbum gravissi-
mum, quo per integrum annum laboravit. Quo ex morbo cum convaluisset,
anno insequenti pestis contagiosa, quae tum temporis urbem patriam devastabat,
et ipsum invasit; sed singulari Dei providentia, antidoti duplici dosi sumta,
morti ereptus est. Quum vero hac contagione duo primarii praeceptores scho-
30 lae Quedlinburgensis absumti essent, in Lyceum Halberstadiense se contulit,
in quo optimos magistros nactus pari cum successu literis operam dedit. Stu-
diorum cursu in scholis inferioribus feliciter absoluto, anno MDXCIX Acade-
miam Vitebergensem adiit, philosophiae et theologiae studio se dicaturus.
Postquam per duos circiter annos lectionibus theologicis et philosophicis in-
35 terfuerat et in publicis disputationibus praeclara industriae et eruditionis
specimina ediderat, propinqui sui, Andreae Rauchbari, Procancellarii Electoris
Saxoniae, consilio et auctoritate commotus ad artem medicam discendam se
convertit, in qua brevi tempore tantum profecit, ut publice eam in aegrotis
exerceret et librum de varietate medicamentorum conscriberet. Triennio aca-
40 demico exacto liberos Andreae Rauchbari privatim instituit; sed Rauchbaro
paulo post mortuo Jenam profectus est ibique ad theologiae studium diu inter-
missum rediit, memor voti, quod XV annorum puer morbo gravissimo impli-
citus susceperat. Quod studium ut feliciter cederet, celeberrimus Joannes
Arndius, Pastor Quedlinburgensis, quo auctore etiam illud votum conceperat,
methodum ei praescripuit. Inprimis solida linguarum sacrarum notitia ac-
45 quisita in scriptura sacra legenda maxima cum diligentia et assiduitate versa-
batur. Cum literarum sacrarum lectione Patres conjunxit, et quaecunque
notatu digna legit vel audivit, schedis suis mandavit et in certos locos

communes redegit. Anno MDCIII thesibus publice defensis summos in philoso-
phia honores adeptus est. Quum in assiduo studiorum labore valetudini minus
parceret, sub finem ejusdem anni repentino et gravissimo morbo obrutus est,
ita, ut de vita desperaret et testamentum conscriberet, quod egregiam fidei
5 confessionem et documenta intimae pietatis continet. Sed ingravescente morbo
precum ardor invaluit, id quod testatur meditatio sexta, quam illo tempore
chartis tradidit et inscripsit: Consolatio poenitentis ex passione Christi. Ita-
que omnipotens animae et corporis Medicus, cujus auxilium noster Gerhardus
assiduis precibus imploraverat, pro magna sua misericordia eum sanavit et
10 valetudinem ei restituit.

Quum Academia Marburgensis tum temporis majore Professorum cele-
britate floreret, Gerhardus discendi cupidissimus anno MDCIV Marburgum
profectus est et ibi theologiae studium continuavit, imprimis lectionibus et fami-
liari consuetudine doctissimi Balthasaris Mentzeri utens. Cum eodem subse-
15 quenti anno iter per magnam partem Germaniae fecit, celeberrimos theologos
visit et bibliothecas perlustravit. Jenam reversus disputatione publica habita
Ordinis Philosophorum Adjunctus factus est, et ipse scholas theologicas aperuit.
Hoc demum tempore primam concionem sacram in oppidulo Cunizio prope
Jenam habuit, suadente Joanne Majore.

Anno MDCVI a Joanne Casimiro, Duce Saxoniae, qui eum concionantem
audiverat, ad munus Superintendentis Heldburgensis vocatus est, ea lege, ut
etiam singulis mensibus disputationes theologicas in Gymnasio Coburgensi
haberet et deliberationibus Consistorii Coburgensis interesset. Primo quidem
20 ob aetatem juvenilem (nondum enim viginti quatuor annos habebat) aliasque cau-
sas tam grave munus suscipere dubitavit; tandem vero Principis auctoritate et
25 amicorum precibus commotus est, ut munus oblatum acciperet, dicens, 'velle
se experiri, utrum tanto ferendo oneri pares humeri sint futuri.' Antequam
munus illud auspicatus est, jussu Casimiri Ducis dignitatem Theologiae Doc-
toris ab Ordine Theologorum Jenensium petiit, quae ei omnium consensu rite
30 delata est: sumtus idem Princeps liberalissime suppeditavit. Munus Superin-
tendentis Heldburgensis Gerhardus per novem annos summa cum laude et uti-
litate administravit.

Anno MDCXV munus Superintendentis generalis Coburgensis Gerharo a
Casimiro Duce delatum est, quod primo quidem ob valetudinis infirmitatem et
35 laborum multitudinem recusavit, sed tandem, Principe impellente et urgente,
suscepit. Quo munere quamvis per unum tantum annum et duos menses fun-
geretur, tamen saluti Ecclesiae Coburgensis omni modo prospexit et de ea
optime meritus est, cujus rei testimonium est constitutio ecclesiastica, quam
Gerhardus confecit et Casimirus Dux omnibus Pastoribus suae ditionis obser-
40 vandam praescripsit. Praeterea visitationem generalem Ecclesiarum Ducatus
Coburgensis habuit.

Quum Gerhardus ad munus academicum gerendum, cui per sex annos
diligentissime se praeparaverat, naturali quadam inclinatione et magno animi
desiderio ferretur, gratissimum ei accidit, quod jam anno MDCXV ad munus
45 Professoris theologiae in Academiam Jenensem, quam prae omnibus in deliciis
habebat, vocatus est. Casimirus quidem, Dux Saxoniae, Gerharo se carere
non posse ratus, eum dimittere nolebat, tandem vero precibus Gerhardi,

valetudinis infirmitatem imprimis causantis, et auctoritati Joannis Georgii, Electoris Saxoniae et Curatoris Academiae Jenensis, cessit. Itaque Gerhardus anno MDCXVI Dominica Cantate Ecclesiae Coburgensi valedixit et a Principe suo honorificentissime dimissus Jenam profectus est. Ibi per annos XXI munus Professoris theologiae summa cum laude et prosperrimo successu gessit, neque solum de Academia Jenensi, sed etiam de tota Ecclesia evangelica optime meritus est. Magna cum diligentia et assiduitate lectiones habuit adolescentibus theologiae studiosis utilissimas, et ex ejus disciplina theologi doctissimi et de Ecclesia meritissimi prodierunt. Praeterea in libris magna cum subtilitate et eruditione exaratis singulas theologiae disciplinas pertractavit. Saluti et commodis Academiae omnibus modis consuluit: jura et privilegia ejus fortiter defendit, reditus ejus auxit atque consilio et deprecatione sua in bello tricennali saepius pericula et calamitates ab urbe et Academia Jenensi avertit. Apud Duces et Electorem Saxoniae magna valebat gratia et auctoritate: in rebus gravissimis salutem Ecclesiae et civitatis spectantibus consilio et opera ejus utebantur, ad conventus ecclesiasticos et politicos, qui illo tempore in Germania habebantur, legatum eum mittebant ac summis honoribus et largissimis donis eum ornabant.

At ne rebus secundis et fortunae prosperitate efferretur, Deus Opt. Max. etiam rebus adversis et calamitatibus acerbissimis eum affixit. Infirma enim per omnem vitam laborabat valetudine, quo factum est, ut saepius in morbos gravissimos incideret. Uxor carissima, quam anno MDCVIII duxerat, praematura morte ei erepta est, postquam vix tres annos eam in matrimonio habuerat: filiulus, quem enixa erat, mox matrem subsecutus est. Triennio elapso Mariam, Jo. Mattenbergii, medicinae Doctoris et Consulis Gothani, filiam matrimonio sibi junxit, ex qua decem liberos suscepit, quorum quatuor tenera aetate mortui sunt. In bello tricennali hostibus ingruentibus aliquoties mortis periculum sustinuit et fere omnium bonorum et facultatum jacturam fecit, quam tamen constanti et tranquillo animo tulit, cum Jobo dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum!

Tot ac tantis studiorum, morborum aliarumque calamitatum laboribus exantlatis corporis vires exhaustae tandem defecerunt. Gerhardus enim febre acutissima correptus anno MDCXXXVII die XVII Augusti Jenae animam exspiravit, aetatis anno quinquagesimo quinto nondum expleto, immenso cum luctu non solum cognatorum, amicorum et civium Jenensium, sed etiam totius Ecclesiae evangelicae. Sermonem funebrem ei habuit collega conjunctissimus, Joannes Major, de dicto Pauli 2 Cor. 12, 9, quod Gerhardus ipse praescripserat.

Jo. Gerhardus erat theologus omnibus numeris absolutus, tam ingenii acumine et doctrinae copia, quam animi pietate et morum probitate insignis. De Ecclesia evangelica optime meritus est et saluti ejus omnibus modis prospexit: erat vindex et propugnator Ecclesiae Lutheranae fortissimus et doctrinae evangelicae, quae in libris symbolicis Ecclesiae Lutheranae continetur, assertor ac defensor strenuus; neque tamen in refutandis adversariis tam contentioso et immiti animo erat, quam multi alii theologi illius temporis, sed magna utebatur animi mansuetudine et omnia ad pacem concordiamque convertere studebat. Theologiam censebat non esse doctrinam speculativam, sed practicam, et summum ejus finem esse spiritualem hominis interioris regenerationem; quamobrem in theologia tradenda non spinosis et inutilibus

quaestionibus delectabatur, sed id potissimum spectabat, ut animos salutari Christi cognitione imbueret et studium verae pietatis omni ratione excitaret ac promoveret.

Datum Glogaviae, mense Aprili
a. MDCCCXLII.

5

S. Günther.

DEDICATIO,
quam Jo. Gerhardus Meditationibus sacris praefixit.

Qui theologiam medicinae conferunt, et multi sunt, et rem recte explicare
10 videntur. Ut enim duplex medicinae finis, sanitatem in corpore humano con-
servare, eandemque amissam recuperare: ita theologia, quoad animae morbos,
eodem modo duplicem agnoscit finem; ostendit namque non solum, quomodo pec-
catis liberemur, sed etiam quomodo in gratia conservemur. 'Utraque medicina,
15 tam corporis, quam animae, a Deo est,' dicebat Gregorius: ergo etiam in
auctore consentiunt. Habet medicina certa sua principia, ΛΟΓΟΝ scilicet καὶ
πεῖραν, quae ob id crura quaedam ejusdem appellantur, cum quibus, quod
consonum, acceptat: quod dissonum, respuit. Sic theologia certum et immotum
habet principium, verbum Dei propheticis et apostolicis scriptis comprehensum,
20 cum quo, quod consentit, acceptat; quod dissentit, respuit. Alii progrediuntur
ulterius et ostendunt, quod omnis vera medicina ex regeneratione, siquidem
nihil potest regenerare, quod non ipsum regeneratum. Ad emundationem ergo
spiritus vitalis ab impuris morborum tincturis, quae est quasi regeneratio
quaedam, requiruntur corpora regenerata, id est, spiritus, qui sunt corpora
spiritualia propter penetrationem et tincturam: ac nihilominus sunt etiam
25 spiritus corporei. Ita quoque verus theologiae finis est 'spiritualis illa inte-
rioris hominis regeneratio, quam ex aqua et Spiritu fieri testatur veritas'.
Sufficit instituto meo, quod ex collatione theologiae cum medicina optima ra-
tione colligere possim, theologiam esse doctrinam practicam, ac proinde minus
recte eos sentire, qui speculativam eam contendunt, quo in numero sunt qui-
30 dam ex scholasticis. Quamvis enim non solum agenda, sed etiam credenda ac
speranda in hac coelesti philosophia proponantur, id tamen non impedit, quo
minus practica adhuc dicatur, nam et medicina in quorundam θεωρίᾳ occu-
pata est, nec tamen propterea theoretica disciplina est, quia hanc ipsam
θεωρίαν praxeos ratione ac in ordine ad praxin sectatur.

35 Perinde se res habet in theologia: ut jam non addam, in illis ipsis cre-
dendis sive in fidei articulis non nudam notitiam, sed et assensum requiri,
quem esse ex parte voluntatis actum, idoneis argumentis confirmant illi, ad
quos haec cura pertinet. Quodsi theologia est doctrina practica, utique etiam
finis ejus non 'erit nuda γνώσις et subtilis θεωρία,' sed potius 'praxis.
40 Haec si sciveritis, beati eritis, si feceritis' dicit Salvator ad discipulos. 'Non
in verbis, sed in factis res nostrae religionis consistunt,' dicit Justinus.
Οὐ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ Χριστιανούς, dicit Ig-
natius. Τί ἐστὶ χριστιανισμός; θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχό-
μενον ἀνθρώπου φύσει, dicit Basilius. Quodsi Christianae religionis finis
45 ac perfectio non est nuda γνώσις, sed πράξις, quam paucos hodie invenies
vere Christianos! Multum ubique scientiae, conscientiae parum: recte qui-
dem fit, quod ὀρθοδοξία libris, disputationibus, concionibus et modis

omnibus defenditur, sed et vita professioni Christianae ut respondeat, opera danda. 'Si omnium mysteriorum notitiam habeam, caritatem autem non habeam, nihil sum,' inquit Apostolus. Quid ergo olim respondebunt, qui non omnium, sed paucorum, non perfectam, sed tenuem saltem mysteriorum notitiam habent, et tamen ob eam superbiunt, alios contemnunt, aliis invident, vix ulla caritatis Christianae habita ratione? Adscribam huc locum ex egregio quodam libello. 'Qui vult plene et sapide verba Christi intelligere, oportet, ut totam vitam suam studeat illi conformare. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si carcas humilitate, unde displiceas Trinitati? Si scires tota biblia et omnium philosophorum dicta, quid totum prodesset sine caritate Dei et gratia? Vanitas vanitatum et omnia vanitas praeter amare Deum et illi soli servire.' Scientia sine timore Dei quid importat? Si scirem omnia, quae in mundo sunt, et non essem in caritate, quid me juvaret coram Deo? Quanto plus et melius scis, tanto gravius inde judicaberis, nisi sanctius vixeris: noli ergo extolli de ulla vel arte vel scientia, sed potius time de data tibi notitia. Pertinet etiam huc Erasmi locus: 'Quorsum attinet decertare, quot modis accipiatur peccatum, privatio duntaxat sit, an macula inhaerens animae? Hoc potius agat theologus, ut omnes horreant oderintque peccatum. Digladiamur sine fine, quid distinguat Patrem a Filio et utrumque a Spiritu sancto, res an relatio, et qui consistat, tres dici, quorum nullus sit, qui alius, cum sint una essentia? Quanto magis ad rem pertinet, hoc modis omnibus agere, ut Trinitatem illam, cujus majestatem scrutari fas non est, pie sancteque colamus et adoremus, illiusque concordiam ineffabilem nostra concordia, quoad licet, exprimamus, quo contingat aliquando et in illius adscisci consortium? Disputamus, qui fieri possit, ut ignis, quo cruciabuntur impiorum animae, cum sit materialis, agat in rem incorpoream: quanto magis referebat, huc totis viribus eniti, ne quid in nobis reperiat ignis ille, quod exurat?' Repeto autem denuo, non rem ipsam sed abusum rei taxari. Recte fit, quod opera ac studium accuratae cognitioni articulorum fidei impenditur: recte fit, quod ὀρθοδοξία contra haereses defenditur, modo in illis summa perfectio Christianae religionis non judicetur consistere, modo etiam vitae Christianae ac caritatis habeatur ratio. Male vivitur, ubi de Deo non bene creditur: sed vicissim inutiliter creditur, ubi non bene vivitur. Vera fides non est interius, ubi opera non apparent exterius; qui non ambulant in luce, nondum sunt filii lucis. Christiani non sunt, qui non Christiano dignam vitam agunt.

Ut igitur extinctae fere in hac frigidissima mundi senecta pietati ὑπόκλυμα, tardis in via Domini ὀρητήριον adderem, ac me ipsum et alios officii commonerem, horis succisivis libellum hunc sacrarum meditationum conscripsi. Augustini, Bernhardi, Anselmi, Tauleri et aliorum hoc genere vestigiis insistens, quorum dicta huic enchiridio aliquoties inspergo, nusquam tamen, quod factu fuisset facillimum, in prima editione auctorum nomina addidi, sicut nec scripturae loca annotavi: verebatur enim, ne legentium meditatio turbaretur. Non arbitror, multum referre scire, an Patrum, an meis verbis aliquid exprimat, modo, quid dicatur, sedulo attendatur. Si cui placet omnia, quae in hoc libello apte et convenienter dicta, sanctis Patribus tribuere, mihi ea, quae minus commode prolata, assignare, non repugno; id solum quaero, ut fructus inde aliquis ad Ecclesiae filios redundet: et sane voti me participem statuam, si vel uni animae uno momento una aliqua pia et sancta cogitatio ex hujus libelli lectione exurgat. Si cui verba minus Ciceroniana, minus apte adhibita, addo etiam, si voculae quaedam analogiae fidei

minus commodae (quod tamen non spero) occurrerint, non statim haereseos
notam mihi inurat, sed scripti genus perpendat. Sacra tracto, quae ornatum
rhetoricum non admodum desiderant: homilias scribo, non exactas disputa-
5 spinosas quaestiones, sed ad vitam sanctam sedulas cohortationes: non hic
invenies scurriles facetias, sed spirituales interioris hominis divitias: non
hic invenies, quod subtilitate disputandi te exerceat, sed quod in humilitatis
via te instruat. Allegorias interdum sector, non quod omnia in allegorias
transformanda censeam, sed quia scripti genus ad docendum ac monendum,
10 non ad pugnandum directum eas non videbatur respicere. Sed quid plura hac de
re addo, et quare tam multa ad muniendum me affero, cum aequis lectoribus
jam satisfactum sit, iniquis vero censoribus nunquam satisfieri possit?

Jenae, mense Aprili anno MDCVI.

Joannes Gerhardus,
Quedlinburgensis.

15

XVII. DE BAPTISMI FRUCTIBUS.

Sacrum baptisma lavacrum est.

Recordare, fidelis anima, magnae Dei gratiae in salutari baptismi lava-
20 cro tibi praestitae. Baptismus est lavacrum regenerationis, ergo baptismi
lavacro tinctus non amplius totus est in vetustate carnalis nativitatis, sed quia
ex Deo natus, per aquam scilicet et Spiritum, ideo etiam Dei filius, et quia
filius, ideo etiam aeternae felicitatis haeres. Pater aeternus in baptismo
Christi edit hanc vocem: 'Hic est Filius meus dilectus: ' ita omnes, qui cre-
25 dunt et baptizantur, in filios adoptat. Sicut in baptismo Christi Spiritus sanc-
tus apparuit in specie columbae; ita quoque in nostro baptismo adest, eique
vim tribuit; imo etiam per baptismum confertur credentibus, atque in eis no-
vos motus efficit, ut sint prudentes sicut serpentes, et simplices sicut colum-
bae. Sicut erat in creatione, ita quoque res se habet in nostra regeneratione.
30 In prima rerum creatione Spiritus Domini incubabat aquis et vitalem vim eis
conferebat: ita quoque in aqua baptismatis adest sanctus Spiritus, eamque
salutare nostrae regenerationis medium efficit. Ipse Salvator noster Christus
baptizari voluit, ut testatum faceret, nos per baptismum ejus membra effici.
Saepius medicina capiti adhibetur, ut alia corporis membra sanentur; caput
35 nostrum spirituale Christus est; baptismi medicinam pro salute mystici cor-
poris assumsit. In circumcisione Deus foedus inibat cum suo populo in veteri
testamento; ita per baptismum recipimur in foedus Dei in novo testamento,
quia in locum circumcisionis baptismus successit. Qui ergo est in Dei foedere,
non timeat a Diaboli accusatione. 'In baptismo Christus induitur; ' hinc 'sancti
40 dicuntur dealbasse stolas suas in sanguine Agni.' Perfecta Christi justitia est
vestis illa pulcherrima; qui ergo hac indutus est veste, non timeat a pecca-
torum labe.

Erat Hierosolymis piscina circa probaticam; in eam certo tempore des-
cendebat Angelus eamque turbabat; qui primus post turbationem in eam descen-
45 debat, sanabatur, a quocumque detineretur morbo. Aqua baptismi est piscina
ista, quae ab omni peccatorum morbo nos sanat, quando Spiritus sanctus in

eam descendit, eamque sanguine Christi, qui pro nobis victima factus, turbat: sicut et olim in hierosolymitana ista piscina victimae abluebantur. Circa baptismum Christi aperiebantur coeli: ita quoque in nostro baptismo coelestis aperitur janua. In Christi baptismo aderat tota sacrosancta Trinitas: ita quoque in nostro baptismo adest; et sic in verbo illo promissionis, quod annexum est elemento aquae, fides accipit gratiam Patris adoptantis, et meritum Filii mundantis, et efficaciam Spiritus sancti regenerantis. Pharae et omnis exercitus submergebantur in mari rubro, Israelitae salvi et incolumes pertransibant: sic in baptismo submergitur omnis exercitus vitiorum, et fideles salvi ad promissam coelestis regni haereditatem perveniunt. Ideo quoque baptismus est mare illud vitreum, quod videbat Johannes; per eum, velut per vitrum quoddam, splendor solis justitiae mentes nostras intrat: erat autem illud mare ante thronum Agni. Thronus Agni est Ecclesia, in qua sola habetur sancti baptismatis gratia. Videbat propheta Ezechiel aquas egredientes ex templo, quae vivificabant et sanabant omnia: in templo Dei spirituali, hoc est, Ecclesia, scaturiunt adhuc salubres baptismi aquae, in quarum profundum projiciuntur peccata nostra; sanabuntur et vivent omnia, ad quae venerit torrens iste. Baptismus est spirituale diluvium, quo omnis caro peccati mergitur; corvus imundus seu Diabolus exit, columba vero seu Spiritus sanctus devolat, et folium olivae, id est, pacem ac tranquillitatem mentibus inspirat. Recordare ergo, fidelis anima, maxime istius gratiae in baptismo tibi praestitae, et debitas Deo gratias age.

Caeterum, quo uberius in nos collata est per baptismum gratia, eo diligentius collatorum donorum esse debet custodia. 'Sepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ideo, ut Christus excitatus ex mortuis in gloriam Patris, ita et nos in nova vita incedamus.' Sani facti sumus; ergo non peccemus amplius, ne quid deterius nobis contingat: induimus Christi justitiam, vestem longe pretiosissimam; ergo peccatorum maculis eam non inquinemus. Vetus noster homo crucifixus et mortuus est in baptismo; vivat ergo novus homo: regenerati sumus et Spiritu mentis renovati in baptismo; ergo caro non dominetur Spiritui! 'Vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia;' vetustas ergo carnis non praevaleat novitati Spiritus: filii Dei facti sumus per spiritualem regenerationem; agamus ergo vitam tali Patri dignam; templum sancti Spiritus facti sumus; paremus ergo gratam tanto hospiti sedem; in foedus Dei recepti sumus, caveamus ergo, ne Diaboli stipendiis mereamur, et sic foederis gratia excidamus. Effice in nobis haec omnia, o benedicta Trinitas, unus Deus, qui dedisti tantam in baptismo gratiam, da etiam in tanta gratia perseverantiam!

XVIII.

40 DE SALUTARI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI PARTICIPATIONE.

Vitae fons est caro Christi.

'Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, vivet in aeternum,' dicit Christus. Magnum omnino Salvatoris nostri beneficium, quod non solum carnem nostram assumpsit, et in coelestis gloriae thronum evexit, sed etiam corpore et sanguine suo ad vitam aeternam nosmet pascit. O salubres animae delicias! O exoptatum convivium! O coelestem et Angelicum cibum!

Quamvis Angeli desiderent in magnum illud mysterium introspicere, non tamen Angelos, sed Abrahae semen assumsit: propinquior nobis Salvator noster, quam ipsis Angelis, quia dilectionem ipsius ex eo cognovimus, quod de Spiritu suo dedit nobis, neque solum de Spiritu, sed etiam de corpore et sanguine suo; 5 sic enim de pane et vino eucharistico dicit veritas: 'Hoc corpus meum, hic sanguis meus.' Quomodo oblivisci eorum poterit Dominus, quos suo corpore et sanguine aluit? 'Qui manducat carnem, et bibit sanguinem Christi, manet in Christo, et Christus in ipso.'

Non igitur magnopere admiror, quod capilli capitis nostri numerati, quod 10 nomina nostra in coelo scripta, quod in manibus Domini descripti simus, et in sinu ejus ac matrice portemur: quia Christi corpore et sanguine pascimur. Magna profecto dignitas animarum nostrarum, quae pretioso redemptionis suae λυτρωσιν pascuntur. Magna etiam dignitas corporum nostrorum, quae animae Christi corpore redemptae, Christi corpore saturatae habitacula, 15 Spiritus sancti templa, totiusque sacratissimae Trinitatis domicilia sunt. Fieri non potest, ut eadem in sepulcro maneant, cum nutrita sint corpore et sanguine Domini nostri. Hic ille cibus mirabilis; manducamus eum, nec tamen mutamus eum in corpus nostrum, sed mutamur in ipsum. Christi membra sumus, et ipsius Spiritu animamur, corpore et sanguine pascimur. 'Hic panis 20 est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo; de eo si quis comederit, non esuriet in aeternum.' Panis hic gratiae et misericordiae, quem si quis comederit, 'gustat et videt, quam suavis sit Dominus, et ex plenitudine ipsius accipit gratiam pro gratia.' Panis hic vitae est, non solum vivens, sed etiam vivificans; si quis ex hoc manducaverit, vivet in aeternum. Panis hic de coelo 25 descendit, neque solum coelestis est, sed etiam convivas coelestes efficit, qui salutariter et in Spiritu illum comedunt; coelestes erunt, quia non morientur, sed in novissimo die resuscitabuntur. Resuscitabuntur autem non ad iudicium, quia qui manducat de hoc pane, non venit ad iudicium, non ad damnationem, (quia nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu), sed ad vitam et 30 salutem. 'Qui enim manducat carnem filii hominis, et bibit ejus sanguinem, vitam habet in sese, et propter Christum vivet.' Caro illius vere est cibus, sanguis illius vere est potus. Saturemur igitur non operum nostrorum, sed Domini cibo; inebriemur ab ubertate non domus nostrae, sed Domini.

Hic verus vitae fons est; 'qui biberit illius aquam, fiet in eo fons aquae 35 salientis in vitam aeternam. Omnes sitientes venite ad has aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, comedite.' Veniant sitientes; veni etiam, sitiens anima mea, peccatorum aestu exagitata. Quodsi argento meritum destitueris, eo magis propera: meritis tuis destituta ad Christi meritum ardentius propera. Propera igitur, et eme absque argento. Cubiculum hic 40 Christi et animae, a quo non deterreant peccata, neque etiam intrent merita. Sed quae esse possint nostra merita? 'Appendunt argentum non in panibus, et laborem non in saturitate,' dicit propheta. Labores nostri non exsaturant, neque meritum argento divina emitur gratia. Audi igitur, anima mea, et 'comede bonum, et delectaberis in crassitudine.' Verba isthaec Spiritus sunt 45 et vita, et verba vitae aeternae: 'Calix benedictionis communicatio sanguinis Christi; panis, quem frangimus, participatio corporis Domini.' Adhaeremus Domino; igitur Spiritus sumus unus cum ipso. Unimur ipsi, non solum naturae communione, sed etiam corporis et sanguinis participatione. Non igitur dico cum Judaeis: 'Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad

manducandum?' sed potius exclamo: Quomodo carnem suam ad comedendum, et sanguinem suum ad bibendum distribuit nobis Dominus! Non miror potentiam, sed miror benevolentiam. Non scrutor majestatem, sed veneror bonitatem. Praesentiam credo, praesentiae modum ignoro: arctissimum et penitissimum eum esse, certo scio. Membra sumus corporis ejus, caro de carne, os de ossibus ipsius: habitat ipse in nobis, et nos in eo.

In ~~hujus~~ profundissimae abyssi cogitatione submergi desiderat anima mea; bonitatem illam quibus verbis proferat aut declaret, nondum invenit, sed maximae illius gratiae in Domino, gloriae in beatis intuitu penitus obstupescit.

10

XX.

DE SERIA ANTE USUM SACRAE COENAE PRAEPARATIONE.

Christi sis providus hospes.

Non vulgares quaedam epulae, nec regis quoddam convivium, sed sanctissimum corporis et sanguinis Christi mysterium nobis proponitur tractandum.

15 Utique igitur digna requiritur praeparatio, ne pro vita inveniamus mortem, pro misericordia accipiamus iudicium.

Quam trepidat, quam timet sanctissimus ille Patriarcha, fidei fortitudine insignis, cum aliquando Dei Filius in hominis forma ipsi appareret, et Sodomam se eversurum praenunciaret. Hic non adspiciendus proponitur Dei Agnus, sed gustandus et esitandus. Usias, cum inconsultius ad arcam foederis accederet, lepra a Domino percussus est protinus: quid igitur mirum, si iudicium sibi edit et bibit, qui indigne de hoc pane edit, et de hoc vino bibit? Hic enim vera novi foederis arca, per illam veterem praefigurata. Veram autem praeparationem unico verbo docet Apostolus: 'Probet se ipsum (inquit) homo, et sic edat de pane hoc.' Ut autem omnis probatio divina ad divinae scripturae normam exigenda, pari ratione etiam haec, quam requirit Paulus. Consideremus igitur primo loco nostram infirmitatem. Quid est homo? Pulvis et cinis: e terra nascimur, de terra vivimus, in terram revertimur. Quid est homo? Sperma foetidum, saccus stercorum et cibus vermium. Homo natus ad laborem, non ad honorem: homo natus de muliere, et ob hoc cum reatu, brevi vivit tempore, ideoque cum metu, repletus multis miseriis, ideoque cum fletu, et vere multis, quia corporis et animae simul. Nescit homo ortum suum, nescit obitum; ut herba solstitialis paulisper sumus, ac brevis illa vita dolores et labores habet minime breves.

35 Consideremus secundo loco nostram indignitatem. Omnis quidem creatura, respectu Creatoris, umbra, somnium, nihil; utique etiam homo. Sed pluribus et gravioribus modis indignus est homo: peccatis enim Creatorem suum offendit. Deus natura et essentia justus est: natura igitur et essentia peccatis irascitur. Quid nos stipulae ad ignem illum consumentem? Quomodo foedissima nostra facta consistent? Quomodo iniquitates nostrae, quas ponis coram te, et errores nostri, quos collocas in lumine vultus tui? Infinitus Deus et semper sui similis, infinitae justitiae et infinitae irae: quodsi in omnibus operibus, utique etiam in ira, in justitia et vindicta Deus magnus est et admirabilis prorsus. Qui non pepercit filio, numquid parcat figmento?

Qui non pepercit sanctissimo, numquid parcat servulo nequam? In tanto apud Deum odio peccatum est, ut puniat illud in dilectissimis, quod patet in Lucifero, Angelorum primario.

5 Probatio autem 'non solum nos' respiciat, 'sed etiam benedictum hunc panem,' qui est communicatio corporis Christi: tum verus gratiae fons, et inexhausta misericordiae scaturigo apparebit; prorsus negligere nos non poterit Dominus, quos suae carnis participes facit: quis enim carnem suam unquam odio habuit? Hae igitur sanctae epulae transmutabunt animas nostras; hae divinissimae epulae divinos homines nos efficient, donec tandem futurae
10 felicitatis consortes efficiemur θεοῦ ὄλου καὶ μόνου χωρητικοὶ καὶ ὄλοι θεοσειδεῖς ; quod hic in fide et mysterio, illic in re et apertissime habebimus. Ipsa quoque corpora nostra hanc dignitatem consequentur, ut in illis Deum a facie ad faciem videre possimus, quae jam sunt Spiritus sancti
15 templa, et Christi inhabitantis corpore et sanguine sanctificantur et vivificantur; haec sanctissima medicina sanat omnia peccatorum vulnera: haec vivifica caro omne mortale peccatum superat: hoc sanctissimum promissionum divinarum sigillum est, quod coram iudicio divino ostendere possumus: hoc pignore nobis dato de vita aeterna satis tuto gloriamur; si Christi corpus et sanguis
20 nobis exhibentur, utique etiam omnia beneficia per sanctissimum illud corpus et benedictum illum sanguinem parata: quomodo, qui minora dedit, majora denegabit? 'Qui Filium suum dedit nobis, quomodo non omnia cum eo dabit?'

Exsultet igitur sponsa, quia tempus prope est, quando ad nuptias Agni vocabitur; induatur pretiosis, accipiat nuptialem vestem, ne inveniatur nuda. Vestis illa est Sponsi justitia, quam in baptismo induimus: justitia nostra tantum
25 abest, ut vestis nuptialis sit, ut etiam sit pannus mulieris menstruatae. Timeamus igitur ad solemnitatem illam nuptialem turpissimas illas et foetidissimas operum nostrorum vestes afferre; induat nos Dominus, ne inveniamur nudi.

* * * * *

30 The following two selections are from Gerhard's Exercitium Pietatis, Leipzig, 1737, p. 17 f. and p. 87 f.

PECCATA JUVENTUTIS IN MEMORIAM REVOCAT

Sancte Deus, juste Judex, delictorum juventutis meae ne memineris, & praeteritorum peccatorum meorum ne recorderis amplius. Radix concupiscentiae vitiosa in me haerens quam multos venenatos in pueritia mea protulit
35 fructus? Peccati originalis malum quam numerosos actualium delictorum edidit foetus? Cogitationes cordis mei pravae & perversae sunt a prima inde pueritia, imo a tenera infantia. Siquidem cum essem infans unius diei, coram Deo innocens haudquaquam fui. Quot sunt dies vitae meae, totidem me gravant
40 culpa, imo adhuc longe plures & numerosiores: cum vel in una die septies cadat justus. Quod si justus in die cadit septies, ego perditus & injustus procul dubio cecidi septuagies septies. Crevit vita, crevit peccatorum tela. Quantum accessit vitae ex tuo beneficio, tantum accessit peccatorum ponderi ex corruptae Naturae meae vitio. Examino vitam antea actam, & quid aliud

intueor, quam foedissimam & foetidissimam quandam peccatorum tunicam? Attendo praeceptorum tuorum lucem, & quid aliud in exacto annorum meorum cursu invenio quam tenebras & caecitatem? Tenerrimus ille juventutis meae flosculus virtutum coronis adaptari & in odorem fragrantiae Deo debebat offerri. Optimum aetatis meae debebatur utique optimo creatori Naturae. At lutulenta peccatorum foeditas florem illum aetatis meum turpissime conspurcavit: graveolens delictorum coenum miris ac miseris modis eum commaculavit. Prima hominis aetas inter reliquas omnes aptissima servitio Dei: sed ejus bonam partem impendi servitio Diaboli. Multorum mihi obversatur peccatorum memoria, quae effrenis juventutis meae perpetravit licentia, sed memoriam meam adhuc fugiunt longe plura. Delicta quis intelligit? ab occultis servum tuum munda. Pro his juventutis meae delictis offero tibi, Sancte Pater, sanctissimam Filii tui obedientiam, ac perfectissimam ejus innocentiam, qui tibi obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis. Cum puer duodecim annorum esset, sanctam obedientiam tibi praestitit, & voluntatem tuam summa promptitudine exequi coepit. Hanc obedientiam, juste judex, offero in pretium & satisfactionem pro multiplici juventutis meae inobedientia. Amen.

PRO DONO ET INCREMENTO CASTITATIS ORAT

Sancte Deus, qui es pudicitiae & castitatis amator, spurcitiei vero ac libidinis acerrimus osor, per Christum, castissimum animae meae Sponsum, te precor, ut veram castitatem, interiorem & exteriorem, animae & corporis, Spiritus & carnis in me opereris & augeas: contra vero pravae concupiscentiae ignem in corde me extinguas. Configat sanctus timor tuus carnem meam, ne ruat in libidinis proterviam. Coelestis caritas animam meam ad te evehat, e terrenis foetoribus inordinato amore adhaerescat. Effunde super me fluentia divinae gratiae, ut extinguantur in illis flammae concupiscentiae, veluti in aqua extinguntur sagittae igneae. Anima mea ad imaginem tuam creata est, & per Christum reparata: tibi Creatori, ac Redemptori, quin & mihi ipsi injuriam maximam inferrem, si splendidam animae faciem fuligine & maculis inhonesti amoris denigrarem. Habitat in corde meo Christus, habitat in corde meo Spiritus sanctus, is gratiae suo robore, ac charismatum suorum munere me impleat, ut sanctus sim spiritu, sanctus etiam corpore. Absque sanctorum nemo videbit te, lumen purissimum. Quam ergo desiderabilis & amabilis beatifica tui visio, tam detestabilis ac odiosa mihi sit castitatis deperditio ac labefactatio. Contristatur Spiritus sanctus spurci sermonis scintillis: quanto magis libidinum incendiis? Appetitus libidinis plenus est anxietatis & vecordiae; actus abominationis & ignominiae, exitus poenitentiae & verecundiae: ardor ejus ascendit usque in coelum, sed foetor descendit usque ad infernum. Cur igitur turpissimo huic hosti velim ostium animi pandere, eundemque in penetrabile cordis recipere? Sancte ac fortis Deus, exercituum Domine, da mihi robur Spiritus, ut vincere possim hostem illum, qui pugnat in me contra me: da, ut abstineam non solum ab illicitis complexibus & exterioribus turpitudinis actibus, sed etiam liber sim ab interioribus istorum desideriiis ac flammis: cum non solum corpus purum, sed etiam cor mundum a nobis requiras, & tam interiora quam exteriora sanctissimis oculis tuis respicias. Crucifige carnem meam & concupiscentiam ejus, o Christe, pro me crucifixe, Amen.

5 The following selections are from the Loci Theologici
(with the expanded title cum pro adstruenda veritate
tum pro destruenda quorumvis contradicentium falsitate
per theses nervose solide et copiose explicati) Tomus
Septimus, Berlin, 1869, pp. 81-100, passim.

DE CAUSA MATRIMONII ANTECEDENTE AC DISPONENTE,
HOC EST DE SPONSALIBUS

10 Consensus, qui est efficiens matrimonii causa, declaratur non solum in
nuptiis, sed etiam in sponsalibus, quae sunt causae nuptiarum antecedentes,
disponentes ac praeparantes, ideo hoc loco de sponsalibus agere non erit in-
conveniens. Antequam vero ad sponsaliorum naturam declarandam progredia-
mur, notandum est, haud immerito duplicem consensum statui, sponsaliti-
um et nuptialem. Quamvis enim generaliter loquendo consensu tam sponsalia,
quam matrimonium confiant, tamen alius est consensus, per quem sponsalia,
15 alius, per quem matrimonium contrahitur, quod patet

(1) ex contrahentium intentione. Qui in sponsalia consentit, non habet sibi
hunc propositum finem, quod eo ipso statim tempore maritus fieri et matri-
monium consummare velit, sed sponsus fiat et post intervallum aliquod tem-
poris nuptias contrahat; qui vero in nuptias consentit, eo ipso statim tempore
20 maritus fieri expetit.

(2) Ex consensus geminatione. In omnibus omnino ecclesiis receptum, ut spon-
sus ac sponsa, antequam per sacerdotalem benedictionem copulentur, in ec-
clesiae facie publice interrogentur, an in cojugium consentiant, cum tamen jam
ante in sponsalia consenserint.

25 (3) Ex sponsaliorum et nuptiarum, quibus consensus adhibetur, distinctione.
Si sponsalia a nuptiis vere et realiter sunt distincta, utique etiam consensus
sponsaliti- a consensu matrimoniali merito distinctus censetur. Connexio
patet, quia non possent nuptiae a sponsalibus et sponsalia a nuptiis distingui,
si consensus sponsaliti- , qui in sponsalibus declaratur, esset omnibus modis
30 idem cum consensu nuptiali, hoc est tota et integra nuptiarum causa, cum
causa sufficiente in actu posita necessario ponatur effectus. Sed sponsalia a
nuptiis distingui, et quidem necessario distingui, sub finem hujus articuli
demonstrabitur, utique ergo etiam sponsaliti- consensus a nuptiali est dis-
tinguendus.

35 (4) Ex rei ipsius natura et conditione. Aliud est promittere, aliud promis-
sionem implere et quod promissum est, in effectum deducere. Aliud est nup-
tias contrahere, aliud ad contrahendas nuptias sese obligare. Qui in sponsalia
consentit, non statim nuptias contrahit, sed intra certum tempus nuptias se
contracturum promittit.

40 Causa efficiens sponsaliorum est consensus tum contrahentium, tum
eorum in quorum potestate sunt.

Materia sponsaliorum sunt personae contrahentes, de quibus haec gene-
ralis regula traditur: Quicumque nuptias, illi etiam sponsalia contrahere pos-
sunt, et vicissim, qui nuptias, illi etiam sponsalia contrahere prohibentur, cum
45 sponsalia sint futurarum nuptiarum promissio atque aditum ad nuptias parent.

Forma sponsaliorum consistit in modo, quo contrahuntur. Olim non nisi stipulatione perficiebantur, hodie vero etiam nudo consensu seu pactionibus perfici solent, unde etiam per nuntium et epistolam inter absentes perfici possunt.

5 Sponsalia contrahuntur vel pure, vel sub conditione. Pure contrahi dicuntur, quibus non est expresse conditio aliqua addita, quo modo Rebecca Isaaco Genes. 24. Tobiae Sara Tob. 7. despondetur. Sub conditione contrahi dicuntur, quando promissio matrimonii conditione aliqua restringitur ac limitatur. Sic Laban filiam suam Rachelem Jacobo despondet sub conditione septen-

10 nalis servitii Genes. 29, v. 18. Booz Ruthae promittit conjugium sub hac conditione, si propinquior ducere nolit Ruth. 3, v. 13. Saul filiam suam Michol Davidi despondet sub conditione, si centum praecipua Philistinorum prius attulerit 1. Sam. 18, v. 25. De sponsalibus pure et simpliciter contractis notanda est haec regula, quod ex iis nascatur efficax obligatio et actio, ut pars

15 una contrahentium ad petitionem alterius partis ad consummandum matrimonium compelli possit, nisi scilicet sufficiens repudii causa adduci queat. De sponsalibus sub conditione contractis:

(1) Quaedam sunt turpes et inhonestae contra substantiam ac bona matrimonii pugnantes. Ut si dicatur: Contraham tecum, donec invenero meliorem, ditio-

20 rem, nobiliorem, quamdiu eris bona etc. haec conditio pugnat contra substantiam matrimonii, quippe quod est vinculum indissolubile. Ducam te, si generationem prolis evitabis, si sterilitatis medicamenta sumseris etc. haec conditio pugnat cum bono prolis. Ducam te, si pro quaestu te adulterandam dabis, haec conditio pugnat cum bono fidei.

25 (2) Quaedam sunt turpes et de facto impossibiles, nec tamen contra substantiam vel bona matrimonii pugnant. Turpes, utpote si te nudam conspiciendam praebueris, si furata fueris, si alterum occideris, si Deo maledixeris etc. Impossibiles, ut si digito coelum attigeris, si mare ebiberis etc.

30 (3) Quaedam sunt honestae et possibiles, ut: ducam te, si pater consenserit, si attuleris in dotem centum aureos. Distinctius ut progrediamur, dicimus, quasdam conditiones esse honestas, quasdam vero turpes, quasdam impossibiles. Honestae sunt vel de re praesente, vel praeterita, vel futura. De re futura sunt vel necessariae, id est tales, quas per naturam exstituras certum et indubitatum est; vel contingentes, quae in contingentia ac dubio eventu sunt positae. Turpes

35 vel sunt contra substantiam matrimonii, vel non repugnant eidem. Impossibiles vel universaliter respectu omnium hominum tales sunt, vel specialiter ac determinate respectu illius personae, cum qua contrahitur.

De conditionibus honestis rem praesentem vel praeteritam respicientibus, ut promitto conjugium, si pater consulari dignitate fungitur, si liberos nullos

40 habes etc. haec traditur regula: Si conditio talis exstet, rata sunt sponsalia, sin deficiat, nihil actum intelligitur. De conditionibus honestis rem futuram respicientibus atque in contingentia ac dubio eventu positis traditur haec regula, quod sponsalia cum illis contracta non habeant effectum de praesente, sed suspendantur, quousque conditiones adjectae impleantur.

45 Progredimur ad causam finalem sponsaliorum. Causae, propter quas sponsalia instituta et introducta, potissimum tres animadvertuntur.

(1) Conjugii dignitas. Quemadmodum in naturalibus non ex quolibet fit quodlibet, sed ad generationem requiruntur praeviae dispositiones, sic placuit

majoribus, non ex quibusvis contrahentibus quovis modo se habentibus nuptias confieri, sed per sponsalia tanquam causas antecedentes, disponentes ac praeparantes eorum animos prius et conciliari et explorari. Rationi enim et aequitati consentaneum est, tanti momenti negotium ac indissolubilem illam
5 conjunctionem non uno statim temporis articulo, sed distinctis temporibus ac velut gradibus perfici, ut hoc pacto sponsi et sponsae animi prius concilientur quam corpore jungantur, nec vilem habeat maritus datam, quam suspiravit sponsus dilatam.

(2) Publica honestas. Interjiciendum aliquod tempus inter sponsalia et nuptias
10 majoribus visum fuit, ne stipulatione et promissione facta coeco atque effreni libidinis impetu conjuges ad concubitum prorumperent honestatis obliti et bestiarum more sensuali appetitui obsecuti. Tobias in ipsis nuptiis tres primas noctes precibus potius quam conjugii usui destinare voluit. Tob. 8, v. 4:
15 Surge, inquit Tobias ad sponsam, et deprecemur Deum, quia his tribus noctibus Deo jungimur, tertia autem transacta nocte in nostro erimus conjugio, v. 5. filii quippe sanctorum sumus et non possumus ita conjungi, sicut gentes, quae ignorant Deum. In Graeca tamen editione isthaec non habentur.

(3) Necessitas. Non utile solum, sed et necessarium fuit visum, sponsalia nuptias praecedere, ut medio temporis intervallo mature dispici posset, num-
20 quid forte sit, quod matrimonii consummationem impediat. Quo fine etiam sponsalia ecclesiae e suggestu denuntiantur, ut si quid forte occultae causae lateat, propter quod inchoatum conjugium consummari non debeat, illud in lucem producat. Ubi majus periculum, ibi plenius consulendum, inquit Innocentius. Itemque ut sponsus ingenio et moribus ejus assuescat, cum qua in
25 perpetuum est victurus. Propter easdem causas sponsalia adhuc hodie merito retinentur, quod

(4) etiam suadet eorum antiquitas.

Contrarium sponsalibus est repudium, per quod sponsalia dissolvuntur. Dicitur repudium, quasi recusatio propter rem pudendam, ac proprie acceptum
30 est inter sponsum et sponsam, sicut divortium inter maritum et uxorem. Quodsi enim conjugium ratum et consummatum dissolvi in quibusdam casibus potest, multo magis conjugium promissum et inchoatum poterit dissolvi. Sed addendae hic sunt duae regulae.

(1) Sponsalia non debent privata vel contrahentium, vel amicorum, sed publica magistratus auctoritate praeeunte legitima causae cognitione dissolvi, unde etiam poena quadam affici consueverunt, carcere scilicet vel mulcta, ratione conditionis et fortunarum habita, qui proprio arbitrio sponsalia dissolvunt.
35 Idque ita observari reipublicae Christianae interest tum propter metum subornationis, tum propter scandalum, tum vel maxime propter conscientiarum
40 periculum. Apud ethnicos vel nulla, vel minima ex causa privatim licuit sponsalibus renuntiare, sed in ecclesia Christiana illud merito abrogatum.

(2) Non sine gravibus et sufficientibus causis a iudicibus matrimonialium casuum sponsalia sunt dissolvenda, quia sponsalia sunt conjugium inchoatum, cujus auctor hunc vitae ordinem servari cupit inviolatum, ac contrahuntur
45 sponsalia interposita quandoque jurisjurandi fide, ac Deus constituitur testis illius pactionis et vindex violationis, is vero in perfidos ac perjuros graviter solet animadvertere. Quin et temeraria sponsaliorum dissolutio scandalum praebet publicum ac confirmat levitatem ingeniorum sanctam conjugii ordina-
50 tionem susque deque habentium; eadem quoque pugnat cum dilectione proximi, quia personae desertae ignominiam affert ac simultates et odia inter cognatos

desponsatorum excitat. Ex quibus manifestum est, temeraria sponsaliorum rite ac legitime contractorum dissolutione graviter peccari.

Sponsalia, quae ab initio fuere rata, iudicis auctoritate dissolvuntur vel ob quaedam partis alterutrius crimina, vel propter extrinseca quaedam accidentia alterutri vel utrique contrahentium parti supervenientia. Ad crimina commissa referenda sunt

- (1) adulterium vel scortatio. Ostendimus enim superius, sponsum non posse cogi, ut ducat eam, quae post sponsalia contracta copiam sui alteri fecit. Quod vero de sponso dictum, idem etiam de sponsa accipiendum, quod scilicet nec ipsa cogi debeat, ut sponso post sponsalia foedis libidinibus sese contaminanti nubat.
- (2) Medicamentorum sterilitatis assumptio. Cum enim finis matrimonii sit sobolis procreatio, merito repudium illi datur, quae se ad conceptionem sobolis ineptam reddidit.
- (3) Malitiosa desertio. Cum enim in conjugio consummato frater non sit subjectus servituti, hoc est non sit a secundis nuptiis arcendus, si a conjugate deseratur 1. Cor. 7, v. 15. utique multo magis sponsalia, quae sunt conjugium duntaxat inchoatum ac promissum, ob malitiosam alterutrius partis desertionem dissolvi possunt.
- (4) Incestuosa cum cognatis sponsi vel sponsae commixtio.
- (5) Homicidii voluntarii perpetratio. Cum enim homicidium sit delictum maximum capitali poena juxta divinam ordinationem Genes. 9, v. 6. Num. 35, v. 31. plectendum, ideo non debet sponsa cogi, ut datam matrimonii fidem post caedem a sponso perpetratam servet, ne exitus difficiles sequantur; quodsi tamen sponte ipsi condonet eundemque sequatur exsulem, matrimonio conjungi possunt. Quae vero de homicidio dicta, ea ad quodvis crimen gravius et capitale, quo infamia irrogatur, utpote ad crimen laesae majestatis, veneficium, plagium, furtum, insidias vitae alterius contrahentis structas etc. se extendunt, interim tamen in hisce casibus circumstantiae omnes diligenter ponderandae, cum talia crimina non pugnent cum ipsa matrimonii substantia et fine, sicut priora, tentanda igitur primo omnium reconciliatio, quodsi vero animi apparent penitus aversi et distracti, violenta coactio non est adhibenda.

Extrinseca accidentia alterutri vel utrique parti supervenientia propter quae sponsaliorum dissolutio petitur, varia esse possunt, praecipue vero sequentia:

- (1) Superveniens exactio, frigiditas, paralysis genitalium etc. usum matrimonii impediens, sed ea in matrimonio consummato primum detegi consueverunt.
- (2) Furor omnem rationis usum exterminans et conjugalem societatem, quae debebat esse non corporum tantum, sed animorum etiam conjunctio, miserabilem ac calamitosam reddens.
- (3) Morbi contagiosi. Si alterutra pars contrahentium in lepram, elephantiasin, aliosve morbos insanabiles, abominabiles et contagiosos inciderit, altera pars ad consummationem matrimonii non est cogenda, cum lege divinitus sancita leprosi ab hominum consortio fuerint remoti. De epilepsia, paralysis et aliis morbis gravioribus et insanabilibus idem fere statuunt, quod videlicet pars sana non sit ad cohabitationem et matrimonii consummationem compellenda, interim prudenter considerandae sunt circumstantiae, ac si utraque pars in matrimonii consummationem sponte consentiat, non videntur prohibendi. Tutissimum vero est ante dissolutionem sponsaliorum ob quosdam morbos contagiosos et

abominabile tempus aliquod curationis praefinire, ut certo constet, morbum illum esse insanabilem et ex tali conjugio tristes metuendos esse exitus.

(4) Deformitas insignis, utpote si cui nasus praecidatur, vel oculi exsculpantur, vel membrum amputetur, tentanda tamen prius reconciliatio.

5 (5) Status mutatio, hoc est capitis maxima diminutio, qui enim post contracta sponsalia ob flagitia fit infamis et flagitiosus, civiliter mortuus censetur, ergo non videtur sponsa cogenda, ut matrimonium cum eo consummet, quia ea mente ac intentione fidem matrimonii dedit, quod viro honesto et existimationis integrae nubere velit.

10 (6) Absentia sponsi diuturnior.

De capitalibus et implacabilibus inimicitiis, an propter eas sponsalia dissolvi possint, diximus superius. In genere addunt hanc regulam, quoties talis casus accidit, qui si tempore sponsaliorum adfuisset, sponsus vel sponsa in matrimonium nunquam consensisset, tunc iudicem ad dirimenda sponsalia propensio-
15 rem esse debere; sed circumstantiae omnes prudenter ac diligenter sunt expendendae, nec ob quaslibet rixas vel dissensiones dissolvenda sunt sponsalia sed modis ac viis omnibus reconciliatio prius tentanda. An ob religionis diversitatem vel votum continentiae, si ante vel post contracta sponsalia locum habuerint, matrimonii consummatio sit prohibenda, in sequentibus capitibus dispicietur. An per matrimonium cum alia consummatum priora sponsalia dissolvenda sint, ardua quaestio est, de qua inferius, quando de divortii causis agendum erit, tractabitur. De morte, quod per eam sponsalia dissolvantur, dubium nullum, cum consummatum etiam matrimonium dissolvat.

Ut autem discrimen inter sponsalia et nuptias sive matrimonium consum-
25 matum sit illustrius, revocabimus id ad sequentia capita. Differunt sponsalia a nuptiis

(1) appellationibus. Aliud enim est $\mu\eta\eta\sigma\tau\epsilon\acute{\upsilon}\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$, aliud $\gamma\alpha\mu\epsilon\tilde{\iota}\nu$.

Sponsalia a spondendo, hoc est promittendo, dicta, conjugium a copulatione sub unum jugum; aliud vero est promittere, aliud facere.

30 (2) Definitionibus. Sponsalia sunt mentio et reponmissio futurarum nuptiarum, matrimonium est maris et feminae conjunctio individuum vitae societatem continens.

(3) Causa efficiente proxima. Sponsalia causam efficientem habent consensum sponsaliti-
35 um, nuptiae consensum nuptialem; quod autem consensus sponsaliti-
um a nuptiali differat, comprobatum fuit superius.

(4) Materia. Sponsalia contrahuntur inter impuberes et inter absentes, nuptiae vero minime. Materia conjugii sunt sponsus et sponsa, materia sponsalium mas et femina.

(5) Forma. Sponsalia perficiuntur pactione ac promissione de futuro conjugio, nuptiae vero praesenti traditione, cohabitatione et ad individuum vitae societatem conjunctione. Sponsalia differunt a matrimonio, sicut spes a re ipsa differt.

(6) Fine. Sponsaliorum finis est, ut futuro tempore nuptiae sequantur exploratis prius contrahentium animis; nuptiarum finis est, ut ad proles generationem, mutuum adiutorium et scortationis evitacionem individuo nexu contrahentes co-
45 pulentur.

(7) Effectis. Uxor marito debet $\epsilon\tilde{\upsilon}\nu\omicron\lambda\alpha\nu$ conjugalem, sponsa vero minime. Uxor ad individuum vitae societatem obligatur, in sponsa id locum non obtinet. Uxor est in dominio, potestate mariti, sponsa vero minime. Uxor possidetur a marito, sponsa non possidetur. Uxori incumbit rei familiaris administratio,

sponsae vero minime. Uxor mutat domicilium, sponsa non mutat. Uxor tenetur lugere defunctum maritum et si maritum non eluxit, infamia notatur; sponsa non luget sponsum. Uxor cogitur sequi peregrinantem maritum, sponsa non tenetur. Sponsalibus publica honestas, nuptiis affinitas contrahitur etc.

5 (8) Adjunctis. Sponsae habitu et vestitu a nuptiis distinguuntur. Sponsalia sub conditione contrahi possunt, nuptiae vero minime. In nuptiis certa aetas definita est jure civili, antequam matrimonium non est justum et legitimum; in sponsalibus aetas contrahentium non est definita, ideoque a primordio aetatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est
10 si non sint minores quam septem annis.

* * * * *

The following two selections are from the Homiliae Sacrae of Gerhard, pars prima, Jena, 1656, p. 19 f. and pp. 120-124.

DOMINICA I. ADVENTUS.

15

HOMILIA IV.

Ex Matth. 21. v. 1-9.

Quod felix & faustum esse jubeat Altissimus, denuo exordimur Dominicalium Evangeliorum explicationem. Quamvis enim non desint, qui hunc morem singulis Dominicis cujuslibet anni certam quandam pericopen Evangelicam explicandi improbent, ac potius scriptum aliquod Biblicum continua serie explicandum censeant, non tamen possumus illorum judicio assurgere, sed in Ecclesiis nostris morem illum invariaturum retinemus.
20

1. Propter antiquitatem. Neque enim hoc est inventum Papatus, sed fuit hic mos in Ecclesia usitatus, antequam Papistici abusus in eam plenis velis introducerentur. Referunt Historiae Ecclesiasticae, Carolum Magnum opera Pauli Diaconi & praeceptoris sui Alcuini circa annum 800. pericopas Evangelicas ordinasse, quod non est eo sensu accipiendum, ac si prioribus Ecclesiae temporibus seculum octavum antegressis hoc non fuisset usitatum, siquidem Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus &c. qui circa annum 400. floruerunt, eadem distributione usi sunt, unde quidam statuunt, Hieronymum jussu Damasi Episcopi Romani distributionem illam introduxisse.
25
30

2. Propter utilitatem. Accommodatum hoc est ad captum rudiorum, ut Historias Evangelicas de Christo memoriae magis infigant. Delectat varietas, sed non prodest. Si liber aliquis Biblicus ordine explicatur, novae occurrunt semper materiae, sed rudiores eas non possunt memoria complecti, quando ad finem perventum, ea, quae in principio occurrunt, oblivioni sunt tradita. Sed pericoparum Evangelicarum distributio optime succurrit ruditati & infirmitati auditorum. Quilibet singulis Dominicis novit, quae sit explicationis materia, inde attendit doctrinis.
35

3. Propter commoditatem. Prudens antiquitas Evangeliorum distributionem eo modo ordinavit, ut homines ad festa anni praecipua eorum
40

explicatione praeparentur, & ex negotiis, quae tractant, ad meditationem
 divinorum mysteriorum assurgerent. Sic ante festum natalitiorum tales peri-
 copae tractentur, quae occasionem exhibent agendi de variis speciebus adven-
 tus Dominici, ut discamus, Filium Dei non tantum semel in carne venisse, sed
 5 etiam adhuc hodie ad nos spiritualiter venire per verbum & Sacramenta, ac
 constituto tempore aliquando ad iudicium rediturum. Ante festum Paschatos
 ejus modi textus Dominicales explicantur, qui agunt de passione Christi, de
 pugna illius contra Satanam & de ingressu ejus in urbem Hierosolymam, ut
 ostendatur, Christum per passionem intrasse in gloriam suam. Ante festum
 10 Pentecostes agitur de cruce piorum, in qua consolatione Spiritus vel maxime
 ipsi indigent, ac de missione Spiritus sancti Apostolis promissa, de precibus
 piorum, per quas impetrantur Spiritus sancti dona. Post Natalitiorum festum
 agitur de circumcissione Christi, de praesentatione in templo, de fuga in
 15 Egyptum, de iis quae contigerunt anno Christi decimo tertio, de conversione
 aquae in vinum, quod fuit omnium primum Christi miraculum, quae juxta seriem
 Historiae pulcherrimo ordine sese consequuntur. De ratione, ob quam reliquae
 pericopae hoc vel illo anni tempore in Ecclesia explicantur, rectius agitur sin-
 gulis quibusque Dominicis. Hac vice pericopen hodierni Evangelii elenctice
 tractabimus.

20

FERIA I. NATIVITATIS DOMINICAE

HOMILIA VII.

Ex Luc. 2. v. 15-20.

Postquam Regius Psaltes, Ps. 104, 3. & seqq. Dei benignitatem, sapien-
 25 tiam & potentiam in opere creationis considerandam ob oculos posuisset, tan-
 dem v. 24. prorumpit in hanc exclamationem. 'Quam magnificata sunt opera
 tua, Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua!'
 Quod si hoc de opere creationis verissime dici potuit, multo magis de opere
 redemptionis, ad quod incarnatio Filii Dei pertinet, illud ipsum praedicari po-
 terit.

30 (1) Magnum est divinae bonitatis argumentum, quod Deus omnia in toto hoc
 universo propter hominem creaverit: sed longe majus divinae bonitatis ef-
 fectum hoc est, quod ipse Dei Filius, totius universi creator & Dominus, prop-
 ter homine homo fieri voluerit. Joh. 3, 16. 'Sic Deus dilexit mundum, ut
 Filium suum unigenitum daret.' I. Joh. 4. v. 9. 'In eo apparuit caritas Dei
 35 erga nos, quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.'

(2) Magnum est divinae sapientiae argumentum, quod omnia in mundo exactis-
 sime ordinata, & ex Naturis repugnantibus suavissima Harmonia introducta:
 sed longe majus divinae sapientiae argumentum est, quod divina & humana in
 Christo Naturae personaliter unitae.

40 (3) Magnum est divinae potentiae argumentum, quod primi hominis corpus ex
 terra formatum. Eva ex latere Adae aedificata & reliqua in toto universo Dei
 verbo ex nihilo condita, sed longe mirabilius divinae potentiae opus est, secun-
 dum Adamum, Dominum de coelo, Dei Filium ex virgine nasci, ac substantiale
 Dei Verbum hominem fieri, adeoque illum nasci ex utero, qui omnes homines
 45 format in utero. 'Portatur manibus foemineis portator orbis; lambit ubera
 regens sidera. Sol nascitur de stella, pater de filia, creator de creatura, Stu-
 pent Angeli eum videntes infra se, quem semper adorant supra se,' inquit Bernh.

De hoc ineffabili incarnationis mysterio Angelus Bethlehemiticis Pastori-
bus statim post nativitatem Dominicam concionatus est, Salvatorem, qui est
Christus Dominus, ipsis natum esse annuncians, quae concio iam efficax fuit
in ipsorum cordibus, ut relicto grege protinus Bethlehemam contenderent, ac
5 Filium Dei in carne manifestatum viderent. Illorum coetui per devotam medi-
tationem nos aggregabimus, Bethlehemam proficiscentes comitabimur, puerum
nobis natum contemplabimur, & pro hoc beneficio Deum glorificabimus, quae
membra paulo uberius sunt explicanda.

Ut cum Bethlehemiticis hisce Pastoribus pie & salutariter γενεθλίας,
10 sive Dominicae nativitatis festum celebremus, tria omnino requiruntur.

I. Bethlehemam versus peregrinatio. II. Pueri contemplatio.

III. Dei glorificatio

Pastores audiverant Angelum de nativitate Domini concionantem, &
Angelorum chorum concinentem. Id vero minime susque deque habent, sed
semetipsos invicem excitant, Eamus, inquit, in Bethlehem. Non quidem
15 expresse Angelus hoc jusserat, sed nativitatem hujus pueri nunciaverat &
praedixerat, quod Bethlehemi essent inventuri, illi igitur absque mora eo
abeunt & inveniunt omnia, prout Angelus dixerat.

Exemplo horum Pastorum excitantes nos ipsos dicamus animae nostrae,
'Age, eamus in Bethlehem,' non passibus corporeis, sed affectu devotae men-
20 tis. Bethlehem terrena non amplius est superstes, ac si vel maxime adhuc
hodie staret, tamen parum prodesset, perfectionem eo suscipere. Spirituali-
ter ergo eo peregrinemur, Christum puerulum nobis natum vera fide quaerentes.

Elucet in hac Pastorum perfectione insignis fides per concionem Angeli-
cam in cordibus ipsorum accensa, quam demonstrant, quaerentes puerulum
25 Jesum.

1. Ardenter. Verba Angeli erant plane ignea Jerem. 23. v. 29. ideo
corda ipsorum erant illis accensa. Esa. 6. v. 6. 'Unus ex Seraphim carbone
ardente tangit linguam Prophetae, quem desumserat ex altari.' Hoc loco ver-
bis ex coelesti curia petitis corda Pastorum tangit Angelus, unde in cordibus
30 ipsorum ignis fidei, devotionis & desiderii accenditur. Quod si & nos Angeli-
cam concionem cordi nostro fideliter impresserimus, itidem talis ignis per
eandem in nobis excitabitur, ut & nos puerulum nobis natum ardentem quaeramus.
Ex luce verbi accenditur lux fidei. Sic de Maria dicitur, quod 'verba
illa omnia conservaverit in corde suo,' quodve invicem contulerit, quid ab
35 Angelo de hoc puero ipsa audiverat, quid Angelus Pastoribus nunciaverat,
quid de hoc Angelo in Veteri Testamento fuerit praedictum, & quid Angelus
in eo nunciaverit completum, ex qua collatione in fide sua non mediocriter
fuit confirmata. Exemplo horum Pastorum & Mariae conservemus & nos
verbum de hoc puerulo nobis praedictum, sic spiritualis ardor in nobis ex-
40 citabitur.

2. Festinanter. Venerunt festinanter, inquit Evangelista. Non diu de-
liberant vel consultant, quid agere velint, sed sine mora surgunt. Quaeramus
& nos puerulum nobis natum festinanter. Nescit amor tarde moveri: ipsa
tarditas ad quaerendum nullius aut exigui amoris argumentum exhibet. Prov.
45 8, 17. inquit Sapientia, h. e. Filius Dei, 'Ego diligentes me diligo, & qui mane

vigilaverint ad me, invenient me.' Cant. 3. v. 1, inquit Sponsa spiritualis. 'In lectulo meo per noctem quaesivi, quem diligit anima mea, quaesivi illum, & non inveni.' v. 2. 'Surgam, & circumibo civitatem, per vicos & plateas quaeram, quem diligit anima mea.' v. 4. 'Paululum cum pertransissem, 5 inveni, quem diligit anima mea.' Cum desidiose ac somnolente quaereret, non inveniebat; sed cum sollicite circumeundo quaereret, invenit suum dilectum. Quam festinanter quaerunt mundani homines divitias terrenas, voluptates, honores! facit hoc sitis terrenorum bonorum. Inde ergo desidiose & somno- 10 lente puerulum nobis natum quaerimus, quia non est in cordibus nostris spiri- tualis ejusmodi sitis, qua Jesulum nostrum desideramus, cum tamen ipsum nobis natum, nobis datum esse audiamus. In Davide talis sitis erat, unde ex- clamabat 2. Sam. 23. v. 15. 'O si quis mihi daret potum aquae de cisterna quae est in Bethlehem juxta portam!'

3. Concorditer. Seipsos invicem alloquuntur, & concordem ad praesepe 15 Christi abeunt. Talis concordia etiam inter nos vigere debet, si spiritualiter profectionem ad Jesulum nostrum suscipere cupimus. Ipse enim est Princeps pacis, Esa. 9. v. 6. Et Angeli ipso nato recinerunt; 'Pax in terris.' Ergo qui illum quaerere desiderant, inter illos sincera caritas & concordia vigere debet. Gen. 45, 24. cum Josephus fratres suos a se dimitteret, dixit eis: 'Ne ira- 20 scamini in via.' Coelestis Josephus Christus Jesus iisdem adhuc hodie nos alloquitur verbis: Dum estis in via, non sit inter vos contentio.

4. Constanter. Quam varia Pastores hosce retrahere & impedire po- tuissent obstacula, quo minus ad Christum quaerendum pergerent! Erat nox 25 intempesta, cura gregis ipsis erat commissa, aderat magna peregrinorum copia, ac metuendum ipsis erat, ne vel servitute vel alia poena luere cogeren- tur, si quid ex grege amissum. Sed omnia illa obstacula fide vincunt. Beth- lehemam cum veniunt, nihil externi splendoris vident, sed stabulum loco arcis regiæ; praesepe loco aurei reclinatorii, viles fascias loco serici indumenti; nihilo tamen minus agnoscunt ipsum esse promissum Messiam & Regem. 30 Nimirum fides lynceos habet oculos, non haerent in aspectu externo, sed ver- bum unice respiciunt. Idem nobis faciendum, si puerulum hunc nobis natum salutariter quaerere & invenire desideramus. Si Pastores rationis iudicium consulere voluissent, vel nunquam ad hunc puerum quaerendum Bethlehemam abiissent, sed concionem Angeli tanquam absurdam contemtui habuissent, vel 35 puerum hunc pro Messia non acceptassent. Quomodo enim juxta corruptae rationis iudicium Jehova, verus & aeternus Deus, potest esse homo in tem- pore Bethlehemi natus? quomodo qui implet coelum & terram, in gremio matris requiesceret? quomodo Rex Regum potentissimus fieret infirmus puerulus? quomodo ditissimus jaceret in stabulo? haec omnia rationi stulta 40 & absurda. Sed Pastores hi unice adhaerent verbo, Dominus dixit nobis, in- quiunt.

Quem vero percipiunt hujus peregrinationis suae fructum? 'Inveniunt puerum & matrem ejus Mariam,' & Mariae Sponsum Josephum. Quod si & nos cum Pastoribus Jesum quaeramus, eum inveniemus. Invento Christo quid 45 ulterius desiderabimus? Inveniunt puerum fasciis involutum, & jacentem in praesepe. Fasciae sunt Scripturae sacrae, in illis Christus involutus nobis proponitur, illas diligenter scrutemur. Angelus remittit Pastores ad fascias, Christus remisit nos ad scripturas Joh. 5. v. 39. Ut enim divinitas ipsius

humana Natura velut quibusdam fasciis sese involvit: ita vicissim hic puerulus involvit se fasciis Scripturae, five verbi revelati in scriptis Prophetis & Apostolicis comprehensi, per quod nobiscum vult agere, & de fructu incarnationis nos instruere. Si hoc verbum fide apprehendimus, inveniemus hunc

5 puerum, h. e. summum nostrum thesaurum. Quid enim majus in coelo ac terra, quam Dei Filius, qui incomparabiliter Angelis major & coelis excelsior? In ipso dedit nobis Deus vitam I. Joh. 5. v. 11. & omnia Rom. 8. v. 32. quia ipse est vita I. Joh. 5. v. 20. & omnia Sir. 43. v. 29. In ipso dedit nobis Deus cor suum, quia ipse est cor Patris, dilectus ipsius Filius Matth. 3. v. 17.

10 In ipso dedit nobis Deus seipsum totum, quia est cum Patre unum Joh. 10. v. 30. Inveniemus etiam summum gaudium, quod enim majus potest esse gaudium, quam in hoc puero, propter cujus nativitatem exultant coeli? Inveniemus summum solatium, quae enim major potest esse consolatio, quam quod Deus Filium suum nobis dedit?

The following is from the Casus Conscientiae, Frankfurt, 1654, pp. 288-301, and pp. 238-340, passim.

5 AN MONSTROSIS PARTUBUS, QUIN IPSIS ETIAM CAMPSORIBUS,
BAPTISMUS, BONA CUM CONSCIENTIA, POSSIT MINISTRARI?

De distinctis distincte, & primum quidem de monstrosis partubus, per quos nihil aliud intelligimus, quam qui ex animantibus nascuntur, non sui generis specie, sed alia & dissimili, hoc est, tam notabiliter natura degenerent, ut vel plane aliam speciem referant ab ea, ex qua nati sunt, vel certe dispositioni membrorum & structurae, quam quaelibet animalis species sibi vindicat, ita dissimiles appareant, ut vere monstrari digni sint. nam exinde Isidorus monstra dicta existimat, quod statim monstrent.

Exemplo res erit dilucidior. An. 1531. ut refert Peucerus Augustae Vindelicorum mulier quaedam peperit primo caput humanum, membranis involutum: secundo bipedem serpentem, cui lucii caput, corpus ranae & pedes, cauda lacertae: tertio, porcum, omnibus partibus integrum. Hic certe foetus non retulit speciem, ex qua in lucem fuit editus, adeoque fuit de monstris primi generis. Idem Peucerus ex historia Romana refert, in agro Vicentino bicipites esse natos, Anno Urbis 580. ternis pedibus, Amiterni 611. quaternis, 620. ternis & manibus & pedibus, 659. quaternis itidem manibus & pedibus &c. Hi omnes, quia dispositionem membrorum in specie humana, quae alias unum duntaxat caput, & non nisi binas manus & pedes sibi vindicat, supergressi sunt, non immerito etiam inter monstra secundi generis recensebuntur.

Si de primo genere casus incidat, res est expedita, hujusmodi partum sacramento Baptismatis initiandum non esse. Baptismus enim pro hominibus institutus est, non pro iis, qui neque homines sunt, neque humani aliquid praese ferunt. Et quae Baptismatis foret profanatio, si ejus usus ad serpentes etiam atque porcos vellet extendi?

Quid igitur agendum cum ejuscemodi monstris? Hoc nempe, res cum Ministerio & Magistratu politico, ante omnia, est communicanda, qui, diligenti inspectione adhibita, cum rerum peritis deliberent, & ubi ex usu esse deprehenderit, submonitis prius parentibus de horribilitate spectaculi, iisque variis consolationum generibus, relictis, monstrum porro interneconi tradant, & in loco profano sepeliant: partim, ut tanta infamia seculi & labes, quam generi humano mala scaeva inussit, tempestive aboleatur, &, si non memoriae, saltem oculis hominum subtrahatur: partim, ne parentibus, jam ante plus satis afflictis, miserandum hoc & vel hosti dolendum spectaculum, diuturna sua praesentia majores moerores injiciat, varias cruces figat, & postremo ipsis simam desperationem inducat, praesentia enim magis magisque commovent.

40 Fit hoc conformiter exemplis tam Ethnicorum, quam Christianorum.

Si vero quaeratur de Monstris posterioris Generis, dicimus I. nequaquam esse occidenda, quia naturam sui generis retinuerint, & solummodo in externa forma partialem aliquam mutationem, vel quoad augmentum, vel quoad defectum, passa sint, adeoque veri homines manserint, in tantum, ut leges civiles

etiam Liberorum nomine ea dignetur. Quid? si deformis habitudo corporis statim in culpa est, ut quis neci tradatur, quis Corytheus, quis Thersites unquam manebit superstes? aliud postulant pietatis & humanitatis officia, cum patientia & animi lenitate: etiam corporalibus vitiis infectis & affectis adhibenda. II. statuimus, ista monstra esse quidem baptizanda. quia enim non in toto, sed in partibus modo aliqua deformitas occurrit, forma humana praesto est, nec non accedente diligenti observatione, animae rationalis indicium aliquod praenotatur, atque sic tanquam homines ex hominibus nati, statui necesse habent, sacer fons porro ipsis denegari haudquaquam poterit: sed tamen de illis prius ad Consistorium, aut si absit, ad Magistratum atque Collegas erit referendum, ut quid facto opus sit, a pluribus in medium consulatur, & quod sapienter decretum fuerit, confirmatiore animo & geratur & perficiatur. etenim hic quoque valet illud Salomonis: Dissipantur cogitationes, quando non est consilium: sed multitudine consiliorum firmatur, Prov. 15. v. 22.

15 Sed scrupulus adhuc haeret: Quid si monstrum fuerit geminatum & duplicis hominis speciem referat, quid tum faciendum? an pro uno saltem homine, vel duobus est habendum & baptizandum? Respondeo, quamvis uni & alteri otiosum videri possit, ea de re aliquid moveri, tempus tamen dari potest, & forsitan jam pridem datum est, quo casus istius modi inciderit, & deinceps
20 amplius incidere possit, cui minus satisfiat, si animus prius non recte informetur & praemuniatur. Proponam casum ex Buchanano: Imperio Jacobi tertii, Regis Scotiae, qui obiit Anno Christi 1488. natum est in Scotia monstrum novi generis, inferiore quidem corporis parte specie maris, nec quicquam a communi hominum forma discrepans: umbilicum vero supra, trunco corporis, ac
25 reliquis omnibus membris geminis, & ad usum & speciem discretis. Id Rex diligenter & educandum & erudiendum curavit: ac maxime in Musicis, qua in re mirabiliter profecit: quin & varias linguas edidicit, & variis voluntatibus duo corpora secum discordia discutebant, ac interdum litigabant, cum alteri aliud placeret: interdum, velut in commune, consultabant. Illud enim in eo
30 memorabile fuit, quod cum inferne crura lumbive offenderentur, utrumque corpus dolorem communiter sentiret: cum vero superne pungeretur, aut alioqui laederetur, ad alterum corpus tantum doloris sensus perveniret: quod discrimen etiam in morte magis fuit perspicuum. nam cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuisset, quod superstes fuit, dimidio
35 sui computrescente, paulatim contabuit. Vixit id monstrum annos XXIIII. ac decessit, administrante rem Scoticam Johanne Pro Rege. Et addit autor: Haec de re scribimus eo confidentius, quod adhuc supersunt homines honesti complures, qui haec viderint. Quaesiti, quae mens nostra esset de isto monstro? Responderemus, illud geminatum esse hominem, & ex functionibus personalibus,
40 diversimode editis, pro duobus hominibus agnoscendum, adeoque Baptismum seorsim, h. e. non uno, sed duobus, distinctis & se invicem subsequentibus actibus, ei conferendum. In tali itaque casu consulendi erunt naturae periti, & secundum eorum iudicium, vel de pluralitate individuorum, vel simplicitate statuendum. Si plura individua iudicaverint, ut plures homines erunt habendi &
45 baptizandi; sin unum, ut unus.

Ea autem, de quibus hactenus locuti sumus, accipienda sunt de principio generationis homogeno, quando nimirum generantes sunt ejusdem speciei humanae; major forsitan difficultas de eo est, quando generantes sunt heterogeneae naturae, ita ut homo cum bestia commisceatur, & inde foetus procreetur,

an huic quoque Baptismus possit ministrari? In memorabilibus Wolffii, ejus rei tale recensetur Exemplum: Mense Aprili in Hispaniis, Bourgeois, inauditum quoddam monstrum protulit mundus, quod ex multorum ad varios scriptis, illic & Venetiis, certo constat literis. Ibi enim Vacca quaedam duos vivos & 5 integros omnino homines, masculum & foeminam, enixa est in lucem; quibus & Archiepiscopus aliquandiu sacrum Baptisma negabat, rei novitate, quid faciendum esset, dubius; cum simile exemplum neque viderit aut audierit ipse, neque de tali scripserit alio tempore quispiam.

Sunt igitur neque vera bruta, neque veri homines. quia ex totali, vel 10 brutorum vel hominum, specie non enascuntur: Neque sunt etiam partim bruta, partim homines. quia non habent duplicem formam essentialem, brutam & humanam, materialem & immaterialem, mortalem & immortalem. Actus autem, h. e. forma est, quae separat & distinguit, inquit Aristot. 7. Metaph. 12. t. 49. sed uno verbo, Monstra sunt, ex monstroso concubitu prodeuntia. qualis 15 enim causa, talis effectus; monstrosus congressus edit monstrosum partim. Quia autem monstris, veri hominis naturam non habentibus Baptismus ordinatus non est, sequitur adhuc, quod Baptismus, bona cum conscientia, illis conferri non possit.

Quod attinet Campsores an & his sit adhibendus Baptismus? Tenendum 20 est I. esse adhuc magnam controversiam de origine eorum. Quidam enim putant, illos generari ex ipsis Daemonibus: Alii, ex surreptitio semine, quo & gignant Daemones, & quos genuerunt, supponant matribus, subtractis propriis: Alii, non generari sed rapi, Dei permissione, ab aliis, & ira raptos alienis 25 matribus, vice priorum liberorum, substitui: Alii, neque generari, neque rapi, sed duntaxat esse phasmata, id est, apparere tanquam infantes, in rei autem veritate nihil esse aliud, quam meras larvas Diaboli.

Tertia itaque sententia & quarta nobis videtur probabilior, Diabolum vel liberos suffurari, & aliis loco priorum, supponere: vel hominibus glaucoma objicere, phasmata sua producere, & pro veris liberis venditare. 30 Prius ideo fieri usque adeo difficile illi non est. quia notum ex Scriptura, recens natos, antequam ex aqua & spiritu regenerentur, in potestate Diaboli existere, Eph. 2. v. 2. cur igitur tales infantes non translocare, aut pro jure suo, aliquando abuti possit, in quantum quidem Deus illi permiserit? nam & haec pars efficaciae est in filiis incredulitatis! Nec posterius impossibile. 35 Cum enim Satanas se transfigurare possit in Angelum lucis, 2. Corinth. 11. v. 14. ut esse videlicet videatur talis, licet revera non sit; cur non etiam in humanam massam, ut verus infans appareat, qui reipsa nihil minus est?

Quid si igitur ejusmodi Casus eveniat, quid II. faciendum? Hoc nempe meo quidem arbitrato: Si infans de se talia indicia praebet, ut magis transformatus, quam creatus conspiciatur, tunc ad Baptismum non admittatur: sed idem processus, qui cum monstris primi generis, & quae ex bestiali concubitu progenita sunt, hic etiam observetur. Si vero infans nihil tale prae se ferat, nec discerni statim, etiam a prudentissimis, possit, verusne sit partus, vel 45 falsus, genuinus aut suppositivus? ab usu Baptismatis arceri nullo modo poterit. Quod si vero successu temporis in notitiam hominum venerit, nec enim diu latebit, quin suo se indicio prodat sorex, vel e medio erit tollendus, vel precibus apud Deum prosternendus, quod Dessaviae factum fuisse, legimus ibidem

praecedente p. 300. quando ad instantes Ecclesiae preces, Deus sequente anno hujusmodi infantem morte sustulerit, & Parentes intolerabili onere liberaverit. Sic porro idem semper liberabit Electos suos! AMEN.

5 AN FOETUS, NONDUM PERFECTE IN LUCEM EDITI,
BONA CUM CONSCIENTIA POSSINT BAPTIZARI? (partim)

. Dices: Quid vero tum faciendum, si mater in partu extinguatur, & foetus, intra viscera detentus, matrem supervivat? Respondeo, nulla matri vis adhibenda periculosa, ne una cum matre foetus tradatur neci, sed utrique Dei iudicio sunt relinquendi, usquedum mater animam exhalet, &, nisi certa signa extent foetus in utero extincti, consilio rerum harum peritorum, defunctae matris alvus secanda, & si vivat adhuc partus, quemadmodum vivere posse experientia comprobatum habetur, baptismatis ritu initiandus, ecclesiae est implantandus. Quod alii opinantur, etiamnum viventis matris alvum posse secari, foetum eximi & vulnus artificiose iterum consui, idque probare nituntur exemplo, quod accidit circa annum 1500. in pago Sigershusen, ubi rusticus quidam, Jacobus Nufer, uxori suae Elisabethae Alespachin, per aliquot jam dies parturienti, desperata jam salute, consilium suum communicat, Velle se, si consentiat, suam in ipsa experiri industriam, (erat autem is ὀρχοτόμος, porcos castrare solitus) Illa, necessitate urgente, annuit. Hinc recta ad Praesidem Frauenfeldensem contendit, conatum aperit, licentiam impetrat. Itaque, duabus cordatioribus obstetricibus secum in conclavi retentis, sumen uxoris primo ictu feliciter aperuit, foemella elegans prosiluit. Consutum vulnus, more veterinario, recte coaluit: ita, ut, sequentibus annis, semel gemellos, quatuor deinde alios enixa sit eidem liberos. Excisa filia autem ad annum aetatis octuagesimam pervenit, foecunditate nobilis, quemadmodum Zwingerus recenset. Respondeo ad id, esse extraordinarium, communi regulae contrarium: Saeva pericula non attentato, ne vitae tuae renunciasset existimeris? vix e myriadibus unum, periculosum, & praesentissimae morti expositum, adeoque concessione Antislitis, vel Principis poenae indignum: quod in imitationem, nedum in consuetudinem, nullatenus trahendum.

SOLOMON GLASSIUS (1593-1656)

The following is from the Philologia Sacra, Leipzig, 1743, cols. 483-490, passim.

CANONES QUOSDAM DE PARABOLIS CONTINET

5

CANON I.

Parabolae tum in V. tum in Nov. Testam. occurrunt, in illo vero rarius, in hoc creberrime.

CANON II.

10 Christus suis in concionibus parabolico docendi genere crebo usus est, non sine causa.

ERASMVS in paraph. N. T. est. ad Marc. IV, 2. hac de re eleganter hunc in modum loquitur: Proponebat (Christus) parabolas, h. e. rerum notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maxime accommodum. Videtur enim prima specie puerile ac ridiculum hujus mundi
15 sapientibus: sed hoc docendi genus placuit aeternae sapientiae. Philosophi magna arte contortis Syllogismis tenebras offundebant auditoribus, Rhetores admirabili dicendi copia vim admovebant animis hominum, Pharisei retrusa quaedam & a populari captu procul semota congerebant. Caeterum hoc doctrinae
20 genus simplicissimum, & ab omni ostentatione alienum, sibi delegit Jesus, ut tota gloria mundi per Evangelium innovati esset divinae virtutis. Multis itaque parabolis excitavit animos illorum, ut simplici credulitate purisque mentibus acciperent sermonem Evangelicum, unde salutis nostrae principium proficiscitur.

CANON III.

25 In parabolis, si integre accipiantur, tria sunt: Radix, cortex & medulla sive fructus.

Radix est scopus, in quem tendit parabola. Cortex est similitudo sensibilis, quae adhibetur, & suo sensu literali (qui ex ipsis verbis eruitur) constat. Medulla seu fructus est sensus parabole mysticus, seu ipsa res, ad quam parabola fit accommodatio, seu quae per similitudinem propositam significatur.
30 HIERONYMVS in c. 12. Eccl: Parabolae aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur; & quasi in terra aurum; in nuce nucleus; in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur: ita in eis divinus sensus altius perscrutandis, &c. - Vt igitur ex cortice medulla, nucleus sive fructus erui, & in succum sanguinemque converti possit, primario & potissimum ad
35 radicem, postmodum etiam ad ipsum corticem respiciendum est: ut sequentes duo docebunt canones.

CANON IV.

In explicatione & applicatione parabolarum legitime instituenda primo omnium attendendus est dicentis scopus.

Quemadmodum Graeci apologorum sensum ex profabulatione vel affabulatione, vel ubi illa desint, ex ipsa fabula venandum esse docent, (ita enim illi loquuntur, μύθος, προμύθιον, ἐπιμύθιον :) ita in parabola corpus considerandum. Est autem proparabola tum id, quod praecedit, & quocum
5 parabolica narratio contexitur: tum (& simul) dictum quoddam nervosum, quod interdum parabola praepositur, continens rem, cujus gratia parabola instituitur. Sic parabolam de patrefamilias conducente operarios in vineam suam Matth. XX. praecedunt illa verba emphatica: Multi primi erunt novissimi, & novissimi primi, Matth. XIX, 30. (quae etiam parabolam sequuntur, Matth.
10 XX, 16.) ex illis igitur cum praecedentibus conjunctim sumtis, scopus hujus parabola erueus. Sic proparabola insinuat saepe illis vocibus: Simile est regnum coclorum & c. unde facile potest fieri genuina collatio & explicatio, Matth. XIII, 31. Epiparabola est conclusio parabola, epiphonema seu dictum insigne, parabolam sequens. Sic praedictae parabola subnectuntur haec verba:
15 Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi, Matth. XX, 16. Sic parabola de decem virginibus additur haec clausula: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit. Ex quo ejus parabola scopus haud obscure discitur. Par aliarum est ratio.

20

CANON V.

In parabolis non opus, nimia cura in singulis verbis anxium esse, neque in singulis ejus partibus adaptatio & accommodatio ad rem spiritualem nimis ἀκριβῶς quaerenda est.

Canon est Chrysostomi hom. 16. in Epist. ad Rom. Idem hom. 65. super
25 cap. XX. Matth.: Parabolam dixit (Christus) & in parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cum, quid per parabolam intendat, didicerimus, inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum. - Ratio hujus est: multa enim in parabolicis narrationibus attexuntur, quae scopum, ad quem collimant, nequaquam attingunt: quae tamen non statim pro
30 inutilibus aut otiosis parabola partibus sunt habenda. Salmeron hoc adducit simile: Proponitur gladius, quo panem & carnes secare valeas. Certum est, gladium non omni ex parte scindere, sed ex una tantum; nec enim per manubrium secat, neque per partem obtusam oppositam aciei, neque per cuspidem, sed tantum per aciem sive acutam partem secat: Et tamen nemo sanae mentis
35 dixerit, aut manubrium, aut cuspidem, aut partem obtusam oppositam aciei, necessaria non esse ad scindendum; nam etsi per seipsa non scindant, serviunt tamen, ut pars, quae acuta est, & ad secandum nata, scindere fortius & commodius valeat, nam sine illis profecto acies minime scinderet. Ita in
40 parabolis multa afferuntur, quae etsi per seipsa sensum spirituale non efficiunt, conducunt tamen, ut parabola per eam partem scindat & secet, ad quod praestandum ab autore proposita fuerat.

This selection is from Carpzov's Isagoge in Libros Ecclesiarum Lutheranarum Symbolicos, Leipzig, 1690, pp. 2-7.

5

APHORISMUS GENERALIS

Libri (a.) Symbolici sunt (b.) Confessiones publicae (c.) Ecclesiae nomine ab (d.) Orthodoxis Viris (e.) scriptae ac consignatae (f.) de certis Articulis Fidei (g.) gravissimo Consilio, (h.) non ut principium fidei generandae sint, sed ut ex Scriptura explicent credenda, ab infidelium ignorantia & haeretica pravitate viva Ecclesiae membra separent, & in una professione contineant illos, (i.) qui sub uno capite sincero pectore militant, & ad unam etiam professionem sese obligant.

15 a. Nomen SYMBOLI ante Concilium Nic. frequentatum non legitur, post istud vero usus vocabuli hujus in Ecclesia obtinuit, quod originem suam debet Graeco verbo συμβάλλειν, unde Symbolum & Libri Symb. dicuntur Scripta, quae a multis & ex multis collata & collecta, aut velut tessera sunt sive militaris, qua sese mutuo cognoscunt, & a parte adversa separent.

20 b. Confessiones & c.) Ita in Praefat. tum Epitomes Articulorum XI tum declarationis. Libri Symb. definiuntur, & eo ipso differentia Scripturae S. ac Librorum Symb. insinuatur, ac ostenditur, Libros Symb. non esse principium, sed principiatum, & fidem non exinde generari, sed praesupponi. Quod enim quis profitetur ac testatur, id jam jam in corde suo habet.

25 c. Ecclesiae nomine & c.) Ad differentiam scil. Confessionum, ad quas edendas singuli parati esse debent, I. Petr. III. v. 17. & quas etiam unus ac alter in casu Confessionis pro se edere solet. Ecclesia autem hoc loco quantitative spectatur, ac vel universaliter omnes partes & membra, ex quibus constat, complectitur: vel particulariter tam certum coetum, quam particulares coetus, qui partes totius sunt, notat. Nam Symbola & Confessiones suas non tantum Ecclesia edidit Catholica, unde Oecumenicae Symbola natales suos habent; sed etiam particulares Ecclesiae diversorum regnorum, Provinciarum, Urbium suae Dioecesi certas ac breves ὑποτυπώσεις τῶν ὑγιαίνοντων λόγων praescribere solitae sunt, ut proinde discrimen inter Symbola Oecum. & particularia non tantum non ignotum nobis sit, sed etiam religiose a nobis observetur.

40 d. Ab Orthodoxis Viris & c.) Significanter Aphorismo nostro hoc additur, partim ad differentiam hominum sanctorum ἀπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένων 2 Pet. I, 21. partim ad differentiam Confessionum, quas etiam heterodoxii edere & jactare solent. Nam quod ad priores attinet, cum illis non confundendi sunt simpliciter ministri, quorum opera Symbolici Libri scripti sunt. Ut enim Symbolici Libri doctrinam coelestem in Scripturis revelatam contineant, & principalem causam etiam cum Scripturis ipsis habeant communem, tamen causae ministeriales non ex aequo sese habent, quandoquidem Libri Symb. ex illuminatione mediata & non ex dictatura Spiritus S. fuerint conscripti, sicuti

Canonica Scripturae S. instrumenta. Unde Symbolica Scripta primo non sunt
θεόπνευστα, sed sacra tantum, & secundo divina quidem, sed tantum
ratione objecti, quod divinae revelationis est, minime vero ratione modi
communicandi, qui humanus est, & non nisi mediatae illuminationis privilegium
5 habet. Quod ad posteriores vero spectat, etiam horum Confessiones prostant.
Papistae enim in suis Tridentinis Decretis ac Catechesi Tridentina superbiunt:
Calvinistae suas habent Confessiones, quas etiam in unum Syntagma coegerunt,
quod hoc in anno Genevae iterum recusum fuit: Arminiani quoque utut Symboli-
cis LL. parum faveant, tamen & illi Confessionem suam super articulis prae-
10 cipuis Religionis Christianae scripserunt & obtulerunt. Post longas ambages
Anabaptistae ac Moenistae paucos ante annos Confessionem suam in Belgica
lingua Hornii publicarunt. Ab hisce omnibus vero differunt Confessiones nostrae,
quae & orthodoxae sunt, & ab orthodoxis etiam viris scriptae.

e. Concinnatae & Scriptae & c.) Etiam hoc non sine causa a nobis poni-
15 tur. Libri enim Symbolici certi temporis Ecclesiae non semper de novo scri-
buntur, sed etiam saepe concinnantur saltem, prout superiori seculo nostrae
Ecclesiae Liber Symbolicus non ex toto noviter fuit scriptus, sed ex antiquiori-
bus Symbolis etiam concinnatus. Addimus incertum esse, quis omnium Symbol.
Scriptor fuerit, & fieri omnio potuit, ut Laicus auditor vel minister ac privatus
20 unum ac alterum Symbolum a coetu integro concinnatum, & voce saltem traditum
consignaverit atque scripserit, licet non privata sed publica autoritate. Ita
Symbolum Athanasii, Leonis M. Epistola ad Flavianum, Cyrilli Scripta, publica
sunt, etiamsi a privatis scripta fuerint. Ratione igitur Receptionis dicuntur
Publica, sicut Leonis M. Epistola in Chalcedonensi, & Cyrilli Scripta in Ephe-
25 sino Concilio fuerunt recepta & pro Fundamentis Fidei agnita.

f. Super certis Articulis & c.) Significanter hoc dicitur. Nullus enim
Symbolicus liber adaequatus Catalogus credendorum ac dogmatum fundamenta-
lium fidei est, sed tantum pro ratione temporis & occasionis, qua singuli scrip-
ti fuerunt, illorum tantum dogmatum ratio fuit habita, quae controversa erant,
30 & maxime impugnabantur. Unde etiam in hoc sese offert discrimen inter
Scripturam & inter Libros Symb. Sicut enim illa sola est αὐτόπλοστος, &
principium absolutum, ac nullo modo normati rationem habere potest: Ita etiam
sola adaequatum principium est & adaequatus Catalogus credendorum ad salu-
tem necessariorum.

g. Gravissimo consilio & c.) Non enim impulsu θεοπνεύστῳ scribun-
35 tur Libri Symb. sicuti Biblici Scriptores sua Canonica scripta confecerunt: neque
absoluta necessitate & propter insufficientiam Canonis Biblici. Sed alia de causa
scripti fuerunt, per necessitatem scilicet, quae in scholis necessitas obedientiae
vocatur, ut scil. contentiones nonnullorum ingeniorum compescerentur, scandala
40 apud infirmos praeverterentur, & vafrities & malitia haereticorum agnosceretur.
Hoc consilio & hac de causa Libri Symbolici adornantur.

h. Non ut principium sint & c.) Ita res haec in praefatione tum Epitomes
tum declarationis XI. Articul. explicatur. Quod enim ex Scriptura & ad ac
secundum eam componitur, istud non principium est, sed principiatum. Fateri
45 equidem oportet nos, Libros Symb. etiam in praefatione quare etiam nos & c.
sub Normae nomine venire, atque nomen istud Libris Symb. Ecclesiae nostrae
tribui. Verum principium & norma non simpliciter & ex aequo ut Synonyma ab

5 autoribus praefationis hujus accipiuntur. Siquidem etiam ad id, quod principi-
 atum est, ex conventionem dirigi ac dijudicari aliquid potest, & nomen normae
 propterea mereri. Et taliter vocabulum normae accipitur hoc in loco, & apud
 10 Scriptores primitivae Ecclesiae, v. g. quando Symbola Oecumenica, & impri-
 mis Apostolicum ἑξοχικῶς καὶ ἑξαιρέτως ita dictum, vocantur a
 Patribus κανὼν τῆς ἀληθείας ἀκλινης, 'Canon Veritatis minime ver-
 satilis.' Iren. 'Regula fidei immobilis & irreformabilis.' Tertull. 'Norma
 praedicationis in commune per omnes gentes aequaliter constituta.' Ruffin. &
 Venant. Honor. 'Certa fidei regula, per quam Credentes Catholicam teneant
 15 Unitatem, haeticam convincant pravitatem.' August. Et sic etiam normae
 vocabulum h. l. nil aliud significat quam Principium cognoscendi, ex quo de-
 ducimur in cognitionem alicujus conclusionis seu quaestionis, de qua contro-
 vertitur. Quale principium etiam est id, quod ab alio pendet: & aliunde pro-
 batum est, uti ostendit Aristoteles I. Prior. analyt. c. II. & IX. Non ergo
 20 absolute & simpliciter norma est Symbolum, sed in respectu ad Ecclesias
 certas, quae veritatem & certitudinem ejus ex Scriptura probatam praesupponunt.
 Nullus enim Liber Symbolicus fidem gignit aut praescribit, quamvis fides jam-
 jam genita ex Libris Symb. possit roborari, & ejus professio externa per illos
 determinari. Quamvis autem Libri Symbolici nostri principium Fidei non sint,
 25 neque tamen propterea nuda testimonia sunt, sed plus, quam testimonia. Non
 enim Ecclesia, sive Universalis sive etiam particularis illa sit, declarare
 saltem & ostendere vult per hosce libros, quae mens ac sententia ejus sit super
 uno ac altero Artic. sed

- (1) simplicioribus exponere fidem, & cibum lacteum propinare.
- 25 (2) Suum coetum partim ab ignorantia infidelium, partim etiam a pravitate
 haeretica segregare & omnem communionem cum illis excludere.
- (3) Litigiis inter membra sua enatis terminos ponere.
- (4) Sua membra in professione externa, atque explicatione doctrinae ex Scrip-
 tura haustae, ut & in phrasi ac modo loquendi constringere, & ab omni divaga-
 30 tione & licentia prophetandi prohibere. Ut
- (5) Tota professio fidei in Ecclesia, quae hosce libros Symb. recepit, ad & se-
 cundum illos inter membra istius Ecclesiae dijudicetur.

i. Et propterea etiam sincero & c.) Nemo ad fidem cogitur ab Ecclesia;
 neque per Libros Symb. ulli credendi necessitas imponitur; sed omne id, quod
 35 inter membra sua, & ex membris suis Ecclesia hisce libris quaerit, ad pro-
 fessionem externam Fidei, & doctrinae semel ex Scriptura haustae & receptae
 ejusque custodiam ac inviolatam conservationem spectat. Qui igitur se obligat
 ad professionem & ad defensionem Librorum Symb. si rem sincere agere velit,
 non potest id cum reservato quodam mentali & sub conditione consensus cum
 40 Scriptura & antiquitate Ecclesiastica se obligare aut subscribere. Non enim
 quaestio est de veritate aut falsitate dogmatum in Libris Symbol. comprehen-
 sorum; Haec enim supponitur ab eo, qui subscribit & sese obligat; Sed de pro-
 fessione & custodia doctrinae hujus in illa Ecclesia, cui quis operam suam
 spondet. Ad hanc professionem sese obligat, qui Libris Symb. subscribit sin-
 45 cere. Qui vero dubitat de doctrina in LL. Symb. contenta, & vel non rectius
 se informari permittit, vel impugnat eam, & phrasi ac modo loquendi eidem
 contravenit, is limites sibi ab Ecclesia, in qua docet, positos transilit, & sub-
 dole sese jactat pro membro Ecclesiae, cujos Symbolis subscripsit.

These readings are from the Theologia Didactico-Polemica sive Systema Theologicum, Wittenberg, 1685, pars I, pp. 250-253, passim; pars IV, pp. 326-328.

5

DE DEO,
EJUSQUE NATURALI NOTITIA.

Sectio I. Didactica.

Thesis I.

10 Supremus hominis, totiusque Theologiae finis, Deus est, ejusque agnitio, celebratio & fruitio; Ab eo itaque, cum Theologia ad modum habituum Practicorum tractari debeat, merito initium facimus.

II.

 Dei Cognitio alia naturalis est, seu Physica, alia supernaturalis seu Revelata: Illa ex libro Naturae, haec ex libro Scripturae hauritur.

15

III.

 Notitia Dei naturalis est, qua citra revelationem specialem homo cum ex Lumine naturae, tum ex Libro naturae suo modo, sed admodum imperfecto potest cognoscere, esse aliquod supremum Numen, idemque sapientia & potentia sua moderari totum hoc universum, & res omnes a se conditas.

20

 Dari notitiam quandam Dei naturalem, sive ex solo lumine naturae citra revelationem e Scriptura aut aliunde haustam, constare, esse Deum, patet;

1. Ex Rom. I. 19. seq. 'Qvod notum est de Deo, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit. Siquidem quae sunt invisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsaque aeterna ejus potentia ac divinitas, in hoc, ut sint inexcusabiles.'

25

2. Ex Rom. II. 14, 15. 'Nam quum Gentes, quae Legem non habent, natura, quae legis sunt, fecerint, eae legem non habentes, sibiipsis sunt Lex, qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis.'

IV.

30

Causa efficiens est vel prima, vel media; Causa efficiens prima Notitiae naturalis, est Deus: 'Nam Deus illis manifestavit,' inquit Paulus Rom. I. 19 scil. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id quod naturali intellectus lumine de Deo cognosci potest, non speciali revelatione, qualis in Verbo facta est, sed instinctu naturae, quem omnibus impressit, tum etiam operum creatione, a Deo patefactum est hominibus. Causa media cognoscendi Deum, est facultas hominis intellectiva.

35

V.

Materia est vel ex Qva vel circa Qvam. Materia ex qva ἀναλόγως sic dicta Notitiae Dei naturalis, sunt principia naturae lumine nota, indeque deductae conclusiones: Principia vero illa alia Theoretica sunt, alia Practica; Theoretica, qvae Deum, ejusque cognitionem spectant, sunt, qvae concernunt partim
 5 ejus existentiam, qvōd sit Deus, partim ejus attributa, qvōd unus sit, justus, bonus, sapiens, omnipotens, aeternus; partim ejus providentiam, qvōd omnia moderetur, & qvae nos gerimus, audiat & videat. Practicum principium, natura notum, qvōd Deum immediate spectat, unum est, scil. Deum esse colendum.

10

VI.

Materia circa quam, seu objectum Notitiae Naturalis est Deus, non tantum qvōd sit, sed etiam qvōd qvaedam attributa habeat; Sic Actor. XVII. 27. dicitur, Deum veluti palpari & manibus contrectari posse ex lis, qvae condidit. Rom. I. 20. dicit Apostolus, objectum naturalis notitiae esse ἀόρατα θεοῦ, invisibilia Dei, per qvae plerique cum Thoma intelligunt essentiam Dei invisibilem,
 15 ut suis vestita est attributis;

VII.

Forma notitiae hujus naturalis, in quantum ea ab insita & acquisita abstrahitur, est perfectio naturalis intellectus nostri circa res divinas natura
 20 cognoscibiles.

IIX.

Finis θεογνωσίας naturalis alius per se intentus, alius accidentarius est. Finis per se intentus & proprius est, ut sit incentivum & χειραγωγία seu manuctio qvaedam non solum ad ulteriorem Dei cognitionem in Verbo propositam, sed etiam ad cogitandum & inquirendum de coetu, in quo verus Deus colitur, qva ratione Apostolus Paulus finem naturalis illius de Deo notitiae constituit τὸ ζητεῖν τὸν κύριον, Actor. XVII. 27. Qvia enim Deus per verbum suum sese in Ecclesia revelavit, & fama Ecclesiae per annunciationem Evangelii in toto mundo est dispersa, illi, qvi naturaliter agnoscunt, esse Deum,
 30 eumque esse colendum, modum autem colendi Deum ignorant, excitantur naturali illa Dei cognitione ad quaerendam Ecclesiam, ut in ea ad veram & salutarem Dei notitiam aspirare possint. Finis vero seu eventus non intentus, sed accidentarius & consequutus ex neglectu vel abusu naturalium notitiarum, est ἀναπολόγησις seu inexcusabilitas, Rom I. v. 20. vide supra observ. 5.
 35 ad hoc dictum.

IX.

Notitiae naturalis attributa sunt

(I.) Veritas, Veram esse notitiam Dei naturalem inde patet, qvia Apostolus eam diserte appellat ἀλήθειαν veritatem, Rom. I. 18. & cum addito ἀλήθειαν
 40 τοῦ θεοῦ veritatem Dei V. 25. qvippe qvae a prima veritate originem habet; Ubi tamen distingvendum inter notitiam Dei naturalem in se & per se spectatam, & qvatenus conjunctam habet imperfectionem, rationis corruptionem & ad errores

varios proclivitatem; Illo modo spectata, vera est, hoc vero modo considerata, ex accidente falsitate est permixta.

(II.) Necessitas, Necesse enim est, ut omnibus insit notitia quaedam Dei naturalis, si non quoad $\chi\rho\eta\sigma\iota\nu$ & actum secundum, tamen quoad $\kappa\tau\eta\sigma\iota\nu$ & actum primum, aptitudine ad minimum, si non aptitudinis operatione.

(III.) Utilitas, quae est triplex, Paedagogica, didactica, & paedeutica, vide D. Calovium in System. Theol. Tom. II. cap I. sect. I. pag. 40. seq.

(IV.) Imperfectio; Notitia Dei naturalis imperfecta est duobus potissimum modis (1.) respectu objecti plane incogniti (quo pertinet Evangelium, quod est mysterium a seculis absconditum Rom. XVI. 25.) vel non plene cogniti, quo pertinet doctrina legis, quam homo ex principiis naturalibus $\epsilon\kappa \mu\epsilon\rho\upsilon\varsigma$, ex parte tantum cognoscit. (2.) respectu subjecti, Deum non satis constanter agnoscentis, vel propter congenitam corruptionem de Deo subinde dubitantis.

Definitio Naturalis Dei cognitionis haec est; Notitia Dei naturalis est, quae esse aliquod supremum Numen, idemque totum hoc universum & res omnes a se conditas sapientia & potentia sua gubernare, ex Lumine Naturae nobis innotescit. Vel; Notitia Dei naturalis est, quae insita est hominum mentibus naturaliter & colligitur ex operibus Dei in creatione, & in vestigiis illis divinitatis, quae sparsa sunt in tota rerum natura.

20

XI.

Notitia Dei naturalis est duplex, una $\epsilon\mu\phi\upsilon\tau\omicron\varsigma$, sive naturae & mentibus hominum in ipso ortu suo impressa, insita & implantata, quae homo ex principiis secum natis, tanquam imaginis divinae rudibus quibusdam & reliquiis sine discursu & mentis operatione Deum cognoscit; Altera $\epsilon\pi\iota\kappa\tau\eta\tau\omicron\varsigma$ dicitur, seu acquisita, quia ex insitis naturae principiis per ratiocinationem & accuratam creaturarum contemplationem acquiritur, sive ex operibus Dei in creatione & vestigiis illis Divinitatis, quae sparsa sunt in tota rerum natura, colligitur. Illa subjectiva dicitur, haec objectiva. Illa nulli homines, ne quidem infantes carent; Haec vero non in omnibus reperitur; Illa propagatur per generationem; Haec per doctrinam & informationem aliorum, vel etiam per culturam & indagationem propriam; Illa dici potest notitia habitualis, quia inest nobis per modum habitus impressi, etiam ante rationis usum & exercitium, haec actualis, quia per ratiocinationem & discursum sese exerit, & comparatur.

35

DE BONIS

QVAESTIO IV.

AN BONA OPERA SINT NECESSARIA?

Status Controversiae.

Non est quaestio I. de operibus Electitium, sed de Operibus a Deo in verbo Legis vel quoad genus, vel quoad speciem mandatis. II. Non de necessitate coactionis, aut consequentis, sed de necessitate mandati, debiti & ordinis, seu consequentiae. Non est quaestio III. an sint necessaria, ut causa justae, sed an necessaria, ut effectus ejusdem.

ΘΕΟΙΣ

In Ecclesiis nostris non negatur Bonorum Operum a Deo praeceptorum necessitas, multo minus Bona Opera prohibentur, sed ingenue docetur, quod sint necessaria regenitis, tum respectu Dei, tum nostri, tum denique proximi.

5 Ita Formula Concordiae Christian. artic. IV. Thes. Affirm. 3. 'recte docet, quod omnes quidem homines, praecipue vero illi, qui per Spiritum S. regenerati sunt & renovati ad bona opera facienda debitores sint.'

Ἐκ Θεοῦ

I. Disting. inter opera Electitia, sive sponte excogitata aut suscepta, 10 quae nullum Dei mandatum habent, sed sub opinione necessitatis, ac si vera & Deo placentia sint, hominibus obtruduntur, qualia sunt Judaeorum, Pharisaeorum & Pontificiorum opera externa, indebita & supererogatoria, & haec nec bona sunt, nec facienda, multo minus necessaria; Et opera, quae Deus in Verbo Legis vel quoad genus, vel speciem praecepit & praescripsit, & haec neces- 15 saria esse profitemur.

II. Disting. inter necessitatem

(1.) βίασικλήν seu violentiae & coactionis, ubi necessarium id est, quod coactum & violentum, quemadmodum fur necessario ambulat ad patibulum, quae hic removetur, debent enim bona opera esse spontanea & voluntaria,

20 (2.) Inter necessitatem consequentis, vel causae sive absolutam, quae etiam hic locum non habet, &

(3.) Necessitatem consequentiae, sive conditionatam, quae nihil aliud est, quam necessitas 1. mandati & voluntatis divinae, 2. ordinis, 3. debiti. Sunt enim bona opera necessaria ex mandato divino, ex qualitate hominis justificati, 25 ex conditione verae fidei, quae sine charitate mortua est. Agnoscunt enim nostrae Ecclesiae; Bona Opera renatis necessaria esse, necessitate tamen non coactionis, sed mandati, debiti, ordinisque seu naturalis consequentiae, qua fit, ut bona arbor non possit non bonos & suae indoli respondentem fructus ferre.

30 III. Observ. Necessaria sunt bona opera, non ut causa efficiens boni vel justi, sed necessaria sunt, ut effectus causam suam, hominem videlicet fidelem & justum necessario sequentes.

Ἀντίθεοις

I. ANTIQUORUM HAERETICORUM, ut Simonis Magi, Gnosticorum, 35 Valentinianorum, Aetii, & c. qui liberam omnium scelerum licentiam olim permiserunt, ut legere est apud Irenaeum lib. I. cap. 9. & 24.

II. LIBERTINORUM inter Anabaptistas, eandem licentiam permittentium.

40 III. ANTINOMORUM, qui partim vivente Lutero, partim post ejus obitum necessitatem bonorum operum impugnaverunt; Docuerunt enim, bona opera non modo non necessaria esse, sed etiam perniosa. Vide Formul. Concord. fol. 591. seq. Cum autem Formula Concordiae inter Coactionis & inter mandati

atque ordinis necessitatem distinguat, videntur Antinomi de necessitate solum
coactiva loqui, & eam quidem ita negare, ut Renatos ex spiritu spontaneo prae-
stare dicant, quod Carnalibus a Lege imperatur. Ideo B. Lutherus rejecta
5 falsa ipsorum hypothesi (de qua in Capitibus de Lege quaest. VI. & Evange-
lio quaest. III. egimus,) de officio Evangelii Elenchtico, aut ut illi spontaneam
Renatorum obedientiam praedicarent, accurate tamen ostendit, ex Legis ex-
auctoratione certissimam barbariem & pestilentissimam securitatem, omnisque
honestae disciplinae convulsionem sequi, disput. 2. contra Antinomos. Ubi
10 vir Dei recte concludit a remotione legis, ad remotionem peccati & ad licen-
tiam vitae, in hunc fere modum; Ubi non est lex, ibi nec peccatum damnans,
nec obligatio ad obedientiam Deo praestandam, nec necessaria bona opera, sed
mera securitas & licentia; Jam vero secundum Antinomos in Ecclesia non est
Lex; Ergo. Quod vero ex illorum sententia sequatur, quod bona opera non sint
15 necessaria, inde patet; Quia intelligitur, uti dictum, necessitas mandati. Man-
datum autem consistit in lege. Quare sublata lege, sublatum est mandatum,
sublata necessitas vi mandati bene operandi, & c.

IV. ANDREAE MUSCULI, contendentis; Non ferendam illam proposi-
tionem: Bona opera sunt necessaria. Novam quippe obedientiam renatorum,
bonaque eorum opera esse libera, quem tamen errorem agnovit & revocavit,
20 quando Formulae Concordiae subscripsit.

ΘΕΣΕΩΣ ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ

I. Quod bona opera necessaria esse statuamus, patet ex Libris nostris
Symbolicis, utpote Augustanae Confessione artic. VI. 'Docent Ecclesiae nostrae,
quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, man-
25 data a Deo facere, & c.' & artic. XX. 'Docent nostri, quod necesse sit, bona
opera facere, & c.' Ejusdem Apologia sub tit. Respons. ad argument. Adver-
sarior. pag. 95. Articuli Smalcaldic. part. 3 & Formula Concordiae loc. supra
citat. Conferatur Lutherus Tom. II. Jen. Germ. in I. Tim. I. fol. 477. &
tract. de Bonis Operib. in Tom. I. Jenens. Germ. fol. 224. seq.

30 II. Ex nostris hypothesibus, quia docemus
(1.) Fidem, per quam justificamur, exserere se per bona opera,
(2.) esse haec a fide vera inseparabilia,
(3.) renatos & justificatos non habere licentiam peccandi, sed debere Deo in
bonis operibus servire.

35 III. Ex causis, propter quas bona opera necessaria esse dicimus, scil.
(1.) Propter Deum, ex necessitate mandati divini, ratione cultus divini & ob-
sequii, & ex aequitate debitae gratitudinis pro beneficiis. Creatione. Redemp-
tione.
(2.) Propter nos ipsos, ut ambulemus, sicut filii Lucis, fidem operibus nostris
40 demonstremus, eam confirmemus, conscientiam bonam servemus ibid. hypocri-
sin fugiamus, ne malis operibus excutiamus Spiritum S. & conciliemus nobis
poenas temporales & aeternas, & tandem ut omnis generis praemia corporalia
& spiritualia in hac & futura vita consequamur, non quidem ex merito sed ex
ipsius Dei remunerantis gratuita benignitate.
45 (3.) Propter proximum, ut eum omnibus modis opere & exemplo juvemus,
scandalum evitemus, & tandem ora calumniantium obstruamus.

Crimen ergo intentant nostris Ecclesiis Pontificii, quando necessitatem B. O. a nobis negari, quin & B. O. a nobis prohiberi, calumniantur. Etenim Bellarminus Tom. IV. lib. 4. de Justificat. cap. I. & Jodocus Tiletanus part. I. Apol. Concil. Trident. contra Chemnit. fol. 313. seq. operose laborant, ut
5 demonstrent, quod nostrae Ecclesiae statuunt; Opera bona arbitraria esse, adeo, ut observatio Decalogi & mandatorum Dei ad solos pertineat Judaeos, non autem obliget Christianos. Eadem calumnia gravant nos Sociniani. Ast affingunt nobis Adversarii istum errorem, qui Antinomorum est, ut mox dicemus. Et liberat nos ab hoc crimine & Ecclesiarum nostrarum doctrina, & praxis
10 Concionum Legalium, aut disciplinae Ecclesiasticae.

Objectionum διάλυσις

I. Observe; Ex vita & moribus hominum nullum est de doctrina argumentum desumendum; Quae enim sunt vitae & morum corruptelae, ortum suum ducunt non ex doctrina, sed ex perversitate ingenii humani, etiam bono male
15 utentis, frustra ergo Pontificii ex malis nostrorum moribus colligunt, Lutherum, nosque omnes necessitatem bonorum operum reipsa negare.

II. Disting. inter liberum, quatenus idem est, quod voluntarium, seu spontaneum, cui coactionis necessitas opposita est, & sic libera esse bona opera concedimus; Et liberum, quod est idem, quod adiaphorum, & opponitur
20 necessitati debiti, sive ex mandato & voluntate Dei, & sic libera esse bona opera, negamus.

III. Observe; Quando Paulus I. Timoth. I. 9. dicit, 'justo legem non esse positam,' non vult, justum simpliciter a lege & omni legis observatione esse exemptum, sed modo saltem quodam, scilic. ratione obligationis ad poenam, peccatis ipsorum debitam, seu quoad damnationem, itemque quoad rigorem exactionis, quia sponte, quae legis sunt, faciunt.

IV. Disting. inter libertatem Spiritus, & licentiam carnis: Illa non excludit operum bonorum necessitatem, sed haec illam aversatur; Cum necessitate mandati spiritualis libertas optime consistere potest, licet necessitati
30 coactionis opponatur. Quod itaque Antinomi excipiebant de Spiritu Spontaneo & necessaria dici debeant. Nam I. renovatio nostra in hoc statu imperfecta est, dum non nisi primitias Spiritus accepimus, ex parte vero adhuc Carnales sumus, & necesse habemus per Spiritum adversus carnem luctari. Et 2. si vel maxime renati ex nova illa indole & Spontaneo Spiritu facerent, quae fieri
35 convenit, non tamen propterea Bona Opera minus necessaria esse dicenda forent, quia, uti dictum, necessitas mandati cum spirituali liberate optime consistere potest. Nam & Protoplasti ante lapsum legem habebant cordibus ipsorum inscriptam & tamen spontaneo Spiritu agebantur ad obsequium Dei, donec de vetito fructu vescerentur. Idem, sed caeteris paribus de statu gloriae
40 in vita aeterna dici potest.

V. Producit Bellarminus inprimis pro sua calumnia quasdam sententias B. Lutheri, quasi ipse negaverit bonorum operum necessitatem, sed quod B. Vir certo respectu de bonis operibus pronunciavit, intuitu vel defectus & sordium, quae illis adhaerent, vel meriti, quod illis affingitur, vel fiduciae, quae
45 in illis collocatur, id Jesuita absolute interpretatur.

AUTORES

Thesin OPPUGNANTES dicti in Antithesi.

- PROPUGNANTES; B. Gerhardus Tom. IV. LL. Loc. de Bonis Operibus
num. 21 seq. & in Confess. Catholica Lib. II. part. 3. artic. XXIII. cap VI.
5 th. I. D. Feurbornius Syntagm. secundo dissertat. XVIII. pag. 509. D. Battus
lib. III. de Justificat cap. XX seq. D. Hopfnerus disputat. I. de Justific. cap.
I. seq. Eckhardus in Pandectis cap. XXVII. quaest. 3. Wittebergenses tom.
III. Disputat. Theol. Disputat. III. pag. 108. seq. Hutterus in Formul. Concord
articul. IV. de Bonis Operibus pag. 458. seq. D. Brochmannus in System.
10 Theolog. artic. XXV. de Bonis Operibus cap. I. quaest. 2. D. Kunadus dis-
putat. de Bonis Operibus quaest. 2.

The following selections are from the Biblia Veteris Testamenti Illustrata, tomus I, Dresden and Leipzig, 1719, p. 14 ff., passim.

5 PRAELOQUIUM GENERALE AD LIBROS S. CODICIS

(XIX) Causae falsarum interpretationum

Causae hic observandae παραρραμάτων, ψευδερμηνείας, divaricationum a textu S. & sensu Spiritus S. corruptelarum, ineptiarum etiam, ac absurdarum & fabulosarum interpretationum Scripturae, quae penes plurimos
10 interpretes occurrunt. Quarum hae potissimae sunt.

I. Ignorantia linguae originalis: quae superioribus seculis maxime viguit, sed imprimis quantum ad Ebraeum idioma: unde hallucinati sunt frequenter etiam Patres antiqui, qui plerique, si Origenem, Theodoretum, & Hieronymum inter Scripturae interp. excipias, prorsus ignari S. Linguae
15 fuere: Sequiorum autem seculorum Doctores, & Scholastici maxime ob Graecae pariter & Ebraeae linguae ignorantiam, ac barbariem in ipsa quoque Latina dominantem, non tantum incommodas, & falsas, sed ineptas etiam, atque absurdas expositiones passim prodidere.

II. Autoritas Graecae Versionis LXX. Interpp. quae uti magna fuit
20 penes eos, qui fontes conferre nequiverunt, ita discedente illa ab Ebraica veritate, quod in innumeris fit locis, multo magis aberrare oportuit, qui ea usi sunt, quum nec ejusdem sensum semper assequuti sint, & exemplaria Graeca etiam valde variarint.

III. Vulgatae Latinae errores multiplices: quam solam qui adhibuere,
25 quod a multis factum, aut post Concilii Tridentini definitionem pro authentica habuere, non potuerunt non divaricari a vero sensu.

IV. Defectus Concordantiarum. His enim destituti, quum ante quatuor demum secula inventae sint, non potuerunt loca Scripturae, prout par est, conferre, ad feliciter eruendum Scripturae sensum: quemadmodum hodie non
30 tantum Latinis, Germanicis & Graecis, sed etiam Ebraicis Concordantiis extantibus id magno cum fructu fieri potest.

V. Hypothesis de vario sensu Scripturae, quam imprimis Scholastici, & Pontificii fovenerunt atque etiamnum fovent, ob quam adeo accidit, ut obscuratus passim fuerit unicus, verus & germanus sensus, vel etiam neglectus indagatis sensibus, quos vocabant, mysticis, allegorico, anagogico, Tropologico,
35 aut certe geminus sensus literalis invectus sit: unde ambigua & obscura redita, quae talia minime sunt, nec ex intentione S. S. esse debebant.

VI. Methodi variae interpretandi Scripturam: quas Sixtus Senensis in XXIV. Classes distribuit, & sub distributionibus ita multiplicat, ut ultra LX.
40 prodeant, jactitans, a nemine ante se hanc artem perscriptam. Eas, si quis relegat, vel nominibus ipsis stupendas agnoscat, ac mirabitur, sat scio, tantae

molis fuisse tenebricosis Scholasticis & Papistis, ut Scripturis tenebras inducerent. Est enim in illis non tantum Stigmatica, Syllabica, & Ebraeorum Notariaca, sed Rhapsodia, etiam Agiographica, Ecclesiastica (eademque Anonyma, Proonyma) Ethnica (catena, & cento) Scholastica, Dictionaria,
5 Lecturalis, Pandesiaica, Meditative demissa, sublimis, ut alia taceam.

VII. Aberratio a vero scopo et objecto Scripturae: Quod Christum, qui A & Ω est S. literarum non quaesiverint in Scripturis, sed alia quaevis. Quod ut in Judaeis dolendum, ita multo magis in iis, qui a Christo nomen ducunt: maxime vero in illis, qui Evangelici haberi volunt; E. gr. in Calvino, quem
10 Judaizare ostendit B. Hunnius; in Grotio, quem deteriorem Judaeis esse haec nostra docebunt.

IX. Ebraeorum nimia veneratio: Postquam Ebraicae literae coli coepere, evenit nonnullis sola Grammatica notitia, & Ebraeorum Scriptorum lectione sese efferentibus, ut in alterum prolapsi extremum, nimium commentariis, & scriptis aliis Ebraeorum tribuerint, quae olim juxta cum fontibus
15 Ebraeis neglecta penitus fuerant.

IX. Ethnicorum Scriptorum intempestiva collatio. quod in Patribus etiam observare licet, vel e sententiis aut historiis, ritibus, & legibus Ethnicorum tum Poetarum, tum aliorum, sive ut πολυμαθείαν suam ostentarent, sive
20 ut commentationes suas locupletarent, multa depromserunt, quae in Exegeticis rectius praetermissa, aliove loco proposita fuissent, non raro etiam magis ad obscurandam vel pervertendam sententiam S.S. faciunt, & auctoritati, ac dignitati & efficaciae Scripturae potius derogant, quam inserviunt, ac quandoque non tam analogae, quam heterogeneae, & alienae sunt, imo non sine impietate conferri
25 possunt, quod saepe in Grotio observavimus: vel denique e λέξει & phrasi Exoticorum Scriptorum sacros Dei amanuenses, importuna, inofficiosa, aut intempestiva sua κρίσει adjudicant; quae deprehendimus in Chriticis ἀθεολόγοις qui saepe parum fundati in sacris, interpretandi Scripturas, sine vocatione, auctoritatem sibi sumunt, quique sola linguarum fiducia freti hoc
30 aggrediuntur, cum neque contextus, neque analogiae Scripturae reliquae, ac quandoque ne analogiae quidem fidei rationem norint, ac inventa simili quadam phrasi, aut uti ipsis videtur, eodem significationis vocis usu, statim εὕρηκα, εὕρηκα exclamant, & mirum quantum in suis interpretamentis triumphant. Quod nunc etiam agunt, qui oleum & operam omnem impendunt, ut Novo Testamento eam loquendi consuetudinem, eosque idiotismos derogent, qui penes
35 Hellenistas, quos vocamus, LXX. Interpp. ut & penes Scriptores coevos Apostolis & tempore ipsorum in usu fuere: ac ne quicquam tale relinquatur in Scripturis N. T. omnes diversissimarum aetatum, diversissimarum adhaec dialectorum, tum Prosaicos, tum metricos Scriptores Graecos excutiunt, iisque
40 que etiam, cum nihil minus sunt, analogas locutiones sacras faciunt.

X. Praeconcepti errores: qui ut Judaeos Interpp. ita Pontificios, Calvinianos, imo Socinianos etiam atque Arminianos ad glossas iisdem conformes abripiunt: quum oculi mentis sic iisdem fascinati sint, ut veram Scripturae lucem videre nequeant. Inferunt ergo verbis Scripturarum sensum,
45 non efferunt ex iisdem.

XI. Cacoëthes multiplicandarum quaestionum. Quum enim difficultates quaerunt Interpp. ubi nullae sunt difficultates, contradictiones fingunt, ubi nullae occurrunt, & quaestionibus sine fine & numero excogitandis operam navant, saepe magis obscurant, quam illustrent Scripturam, & nimium quantum a simplici ejus sensu & intelligentia divaricantur.

XII. Patristicae, ut ita loquar, & Scholasticae Theologiae amor nimius. Postquam enim P. Lombardus Patrum sententias in compendium redegerat, & Summam Theologiae Thomas de Aquino mundo propinarat, sordebant fere S. literae prae Patrum et Scholasticorum studio, & omnia perstrepebant Lombardicis & Thomisticis contentioneibus, adeo ut illi etiam, qui Biblia tractabant, suo haud defuncti viderentur munere, nisi Scholastica illa, & Lombardica passim admiscerent. Patrum S. studium etsi magis conducat ad Scripturae explicationem, cum delectus adhibetur, & interpretationis bonae leges observantur: in eo tamen quam maxime peccatum fuisse in superioribus seculis sub tenebris Papisticis, turba plurimorum Interpretum docet, tum eorum, qui sine judicio quandoque catenas fecerunt, aut centones potius consarcinarunt e Patribus, tum illorum quoque, qui varias interpretationes, & opiniones Patrum sine justo examine admiscuere.

XIII. Mysteriorum divinorum in Scriptura vel neglectus, cum occurrunt, vel ubi nulla habentur, supervacanea indagatio. Utroque enim modo peccatum non est leviter.

XIV. Discessus a proprio sensu verborum in Script. ad figuratas interpretationes: Ubi sc. nulla cogit necessitas.

XV. Contextus Scripturae minus accurata observatio. Quae plurimorum errorum exitit causa.

XVI. Verborum et phrasium e diversissimis locis collatio. Quae apud Socinianos, et Calvinianos imprimis frequens est. Nimirum conferuntur quidem merito loca parallela, ut Scriptura sui ipsius interpres sit, quum ἰδίᾳ ἐπιλύσεως non sit. Sed primo ac praecipuo loco tum τὸ ῥητὸν verborum textus, tum συνάφεια contextus pensi habenda: neque parallela quae consentur loca, semper talia sunt, sed saepe longe alia tractant, & a locis, de quibus agitur, alienissima sunt.

XVII. Scepticismus, et Pyrrhonismus in Scripturae interpretatione, cum nempe non quis hoc, vel isto loco verborum sensus esse debeat, sed quem sensum forte verba habere possint, explicatur. Qui Socinianis & Arminianis maxime in usu est. Ut de aliis non dicam: qui contenti saepe sunt recitasse, quis sensus esse possit, etsi ignorent, aut dicere nesciant, parumque solliciti sint, quisnam sensus esse debeat. Quo etiam facit variarum interpretationum collatio, sine justa ἐπικρίσει vel electione verioris explicationis. Quae nonnullis nimis familiaris est: Sed ad id tamen conducit, ut qui sufficientibus mediis herminevticis haud instructi sunt, dubii & ancipites relinquuntur, quid eligere debeant. Caeterum in iis Scripturae locis, quae difficultatibus obnoxia sunt, non quae sola Interpp. dissonantia, citra causam, dubia reddidit, prodest interdum diversas allegasse Interpretationes, ut pius atque sedulus Scripturae S. scrutator occasionem habeat omnia accuratius exquirendi, & ea, quae optima sunt,

eligendi, vel ad veriorem sententiam per discrepantium collationem, & examen
eo rectius perducatur. Quanquam optandum potius esset, ne in vectae unquam
tam differentes explicationes essent, aut ut textus saltem secundum legitima
principia hermenevtica, relictis aliorum glossis, & commentis, aspiceretur,
5 & sub accuratiorem ἐρεΰνησιν revocaretur. Optima enim interpretatio
ipsismet Scripturis depromitur.

Sed haec de causis ψευδερμηνείας potioribus imprimis sufficiant.
Flerasque enim alias consulto praeterimus.

The following paragraphs are from the Compedium Theologiae Positivae, Berlin, 1864, pp. 545-558, passim.

5

DE SACRA COENA.

I. Baptismo succedit alterum N. T. sacramentum, quod coenam Domini appellamus.

10 II. Causa efficiens principalis hujus sacramenti Christus est, qui sacramentum hoc instituit ac frequentari praecepit, atque hodiernum facit, ut actio, circa symbola externa, juxta praescriptum ejus administrata, habeat rationem et vim sacramenti.

15 III. Causa impulsiva interna instituti hujus sacramenti est bonitas atque amor Christi erga suos: externa est ipsum meritum passionis et mortis ejus. Speciatim quoad realem praesentiam corporis et sanguinis Christi in qualibet administratione coenae, causae impulsivae principalis rationem habet ipsa institutio Christi; causa impulsiva minus principalis est consecratio symbolo- rum, a ministro juxta institutionem Christi facta.

IV. Causa ministerialis est minister ecclesiae ordinarius, qui elementa externa consecrat et communicantibus distribuit.

20 V. Materia s. coenae duplex est, terrena et coelestis.

25 VI. Materia terrena sunt panis verus et vinum verum, quoad substantiam; azymus tamen panis aequae ac fermentatus, et subtilior aut tenuior aequae, atque crassior, sive vulgaris et usualis: triticeus non solum, verum etiam frumentarius alius. Vinum quoque rubrum perinde atque album, et sive merum sit, sive aqua paulisper dilutum.

VII. Habent autem panis et vinum rationem materiae in s. coena, quatenus dispensantur et accipiuntur, manducantur et bibuntur.

30 VIII. Materia coelestis s. coenae est verum et substantiale corpus, verus item quoad substantiam sanguis Christi, quorum illud cum pane, hic cum vino benedicto sacramentaliter unitur, ita, ut corpus Christi cum pane, et sanguis Christi cum vino, vere et realiter dispensentur, et a communicantibus aequae omnibus, ore corporis accipiantur, illud manducetur, hoc bibatur.

IX. Forma coenae consistit in verbis institutionis.

35 X. Finis cui sive subjectum, ad participationem sacrae coenae admit- tendum sunt homines christiani, qui se probare possunt.

XI. Omnibus illis, qui ad communionem s. coenae admittuntur, symbolum benedictum utrumque dari omnino debet.

XII. Finis cujus, qui etiam fructus aut effectus hujus sacramenti, isque intermedius; est recordatio et commemoratio mortis Christi, quae fide peragitur, obsignatio promissionis de remissione peccatorum, et fidei nostrae confirmatio, insitio nostra in Christum, et spiritualis nutritio ad vitam, dilectio
5 mutua communicantium, et similia plura. Ultimus finis est salus aeterna communicantium.

XIII. Definiri potest sacra coena, quod sit actio sacra a Christo instituta, in qua cum pane benedicto corpus ipsius manducandum, et cum vino benedicto sanguis eius bibendus datur communicantibus christianis, et ab his utrumque
10 accipitur, corpus cum pane manducatur, sanguis cum vino bibitur, in commemorationem mortis Christi, obsignationem remissionis peccatorum et confirmationem fidei ad vitam aeternam.

These readings are from the Examen Theologicum
Acroamaticum, Leipzig, 1725, pp. 46-58, passim.

DE ARTICULIS FIDEI

5 Q. 12. Quid est Articulus fidei?

Articulus Fidei est pars doctrinae verbo Dei scripto revelatae, de Deo & rebus divinis, peccatori salvando ad credendum propositis.

Q. 13. Quot modis sumitur Articulus fidei?

10 Articulus fidei accipitur vel collective, vel distributive. Collective no-
tat integrum doctrinae Christianae caput: distributive designat quamlibet as-
sertionem sive enunciationem, quae partem doctrinae Christianae constituit.

Q. 14. Quae sunt Requisite Articulorum fidei?

15 Ad verum articulum fidei requiritur ut verbo Dei scripto sit revelatus.
Ut salutem hominis respiciat. Ut cum reliquis fidei dogmatibus arcte sit con-
nexus. Ut sit inevidens.

Q. 15. Quodnam est Objectum articulorum fidei?

Objectum articulorum fidei sunt τὰ πιστά sive credenda. Credenda
autem sunt Deus & res divinae, quatenus ad salutem hominum divinitus sunt
revelatae.

20 Q. 16. Quomodo dividuntur Articuli fidei?

Articuli fidei ratione Objecti dividuntur in puros & mixtos: ratione
habitudinis sive respectus ad fundamentum fidei salutisque dividuntur in
fundamentales & non-fundamentales.

Q. 17. Quinam sunt Articuli fidei mixti, quinam puri?

25 Mixti dicuntur Articuli fidei partes doctrinae Christianae de illis rebus
divinis, quae tum ex Lumine naturae quadantenus sciuntur, tum ex super-
naturali Lumine revelationis divinae creduntur, Articuli fidei puri sunt partes
doctrinae Christianae de mysteriis divinis captu rationis humanae sibi relictas
superioribus, divinitus tamen revelatis.

30 Q. 18. Quinam Articuli fidei sunt fundamentales?

Articuli fidei fundamentales sunt partes doctrinae Christianae, adeo neces-
sariae cognitu, ut iis ignoratis ab homine salutariter non apprehendatur, aut
retineatur fundamentum fidei, negatis vero ab eodem, quantum in ipso, labo-
factetur.

Q. 19. Quodnam est fundamentum Fidei & Salutis?

Fundamentum fidei est vel reale, sive substantiale: vel dogmaticum, sive doctrinale. Fundamentum fidei & salutis substantiale est Christus, quatenus est causa meritoria consequendae a Deo remissionis peccatorum & vitae aeternae, promissae in Evangelio omnibus per efficacem Spiritus Sancti influxum in ipsum credentibus. Fundamentum fidei & salutis dogmaticum est complexus dogmatum divinitus revelatorum, quibus Christus fundamentum fidei substantiale, & cum eo necessario connexa principia mediaque salutis explicantur.

10 Q. 20. Quomodo dividuntur Articuli fidei fundamentales?

Articuli fidei fundamentales dividuntur in primarios & secundarios. Articuli fidei primarii sunt praecipuae partes doctrinae Christianae, quarum distincta cognitio ad obtinendam fidem & salutem adeo necessaria est, ut, iis ignoratis, nec fides generari aut conservari, nec aeterna salus impetrari possit. Subdividuntur in Articulos fidei constituentes, antecedentes & consequentes.

(a) Articuli fidei constituentes, sive formales sunt, qui proximas fidei salutisque causas explicant, atque adeo ipsam causalem fidei salvificae definitionem ingrediuntur.

(b) Antecedentes fidei articuli sunt, quibus exponuntur fidei salvificae praesupposita adeo necessaria, ut, iis non praeexistentibus, ipsum fidei fundamentum non existat.

(c) Consequentes fidei Articuli sunt, qui explanant fidei salvificae consequentia, quibus positis, fides divinitus collata confirmatur, conservatur, augetur & exeritur: non positis, fides accensa extinguitur & evanescit.

25 Prob. a. Definitio causalis fidei salvificae sequentibus verbis concipi potest. Fides salvifica est medium divinitus collatum, quo peccator, efficaci Spiritus Sancti operatione mediante verbo divino conversus & renatus, Gratiam Dei peccata remittentem, in merito Christi fundatam, & in Evangelio promissam, acceptat, singularique cum fiducia sibi applicat, ut justificetur & aeternum salvetur. Quicumque Articuli fidei datam definitionem fidei salvificae ingrediuntur, sunt e censu Articulorum fidei constitutivorum, sive formalium. Quos ordine decenti percensebimus.

(I.) Est de Deo Triuno, causa efficiente fidei, justitiae & salutis: quamvis collatio virium credendi in sacris Literis approprietur Spiritui Sancto, quem Paulus appellat spiritum fidei, 2. Cor. IV, 13.

(II.) Est de Peccato & peccatore, utpote qui est causa remota materialis, in qua fides accenditur.

(III.) Est de Verbo Dei, ut Gratiae & salutis medio, quo mediante peccator malitiose non obsistens convertitur & regeneratur, juxta atque Objectum fidei offertur.

(IV.) Est de Conversione peccatoris, quatenus in sensu strictissimo notat Actionem Dei gratiosam, qua voluntatem & cor hominis in medio peccati statu per verbum Legis inhibet, frangitque ac conterit, ut de peccatis serio doleat ac contristetur; cujus immediatus effectus est Contritio. Peccator contritus est Subjectum proximum, cui fides confertur.

(V.) Est de Regeneratione, quippe quae est Actio Spiritus Sancti gratiosa, qua peccatori contrito tum vires credendi, tum ipsa fides conferuntur.

(VI.) Est de Gratia Dei justificante, cujus effectus est Remissio peccatorum & justitia Christi imputata.

(VII.) Est de Christo Mediatore, Ejusque satisfactione & merito, in quo Gratia Dei justificans fundatur. Gratia autem Dei justificans in merito Christi
5 fundata, & in Evangelio promissa, est objectum fidei salvificae.

(VIII.) Est de ipsa Fide salvifica, quatenus est ὄργανον ληπτικόν sive medium ex parte peccatoris conversi & renati Gratiam Dei, meritum Christi & promissionem Evangelicam indubitata cum fiducia acceptans & singulariter applicans: in qua acceptatione fiduciali consistit forma fidei.

10 (IX.) Est de Salute aeterna, tanquam fine ultimo fidei salvificae.

Prob. b. Priusquam peccator aeternam salutem adepturus justificam in Christum concipiat fidem, dogmata quaedam divinitus ad salutem hominum revelata praesupponat, necesse est. Praesuppositum

(I.) est de Existentia Dei Optimi, potentissimi, sapientissimi & verissimi Creatoris, Conservatoris & Gubernatoris hujus universi, Benefactorum Remuneratoris Benignissimi, malefactorum Vindicis justissimi. Hoc praesuppositum inculcat Apostolus Hebr. XI, 6. 'Credere oportet accedentem ad Deum, quod sit, & quaerentibus ipsum Retributor mercedis fiat.' Quod si non esset Deus, nullus esset Mediator. 'Nam Christus est mediator Dei & hominum.'
20 I Tim. II, 5.

(II.) Ad foedam peccati deformitatem & peccatoris miseriam rite ponderandam, praecognoscenda est Imago Dei, quae splendidissime refulsit in protoplastis hominibus, eaque per lapsum Adamicum amissa, peccatum hominem immane quantum deformavit.

25 (III.) Verbo Dei, considerato ut Gratiae & salutis medio, praesupponenda est ejus auctoritas divina & veritas infallibilis: qua nisi polleret, non vi praevalida cor peccatoris percelleret, aut penetraret ad detestandum peccata & concipiendam fidem in Christum.

(IV.) Dogmati de Conversione peccatoris praestituenda est pars doctrinae
30 Christianae de Defectu Liberi arbitrii in spiritualibus, ut peccator occoecatus & depravatus, agnita miseria connata & malitiose contracta, se totum permittat Gratiae Spiritus Sancti Conversionem incipienti & perficienti.

(V.) Regenerationem antecedit Vocatio ad Ecclesiam & poenitentiam, nec non illuminatio per Legem & Evangelium.

35 (VI.) Gratiae Dei justificanti antestat doctrina coelestis de Benevolentia Dei universali, qua miseratus vicem squalidissimam omnium & singulorum peccatorum destinavit Mediatorem, cujus satisfactionem pro peccatis totius mundi gratiose acceptare decrevit: quam ut suam facerent miseri peccatores; omnibus malitiose non obsistentibus conferre voluit fidem, ad quam obtinendam efficacissima ordinavit, omnibusque hominibus proposuit media. Quae Misericordia Dei universalis nisi praeexisteret, nec fides in Christum, nec remissio peccatorum, nec aeterna salus existeret.

(VII.) Ad cognoscendum Christum Mediatorem praerequiritur doctrina de
45 Deitate & humanitate Christi, atque unione personali duarum naturarum in Christo, quod sit verus Deus & verus homo & peccati & potentiae peccandi expertus: qui nisi fuisset, peccata sanguine suo expiare non potuisset. Satisfactioni autem & Merito Christi immediata praesupponitur ejus Sufficiens & Universalitas, quoad intentionem applicandi ex parte Dei, quae non est quidem proxima fiducia materia, sed doctrina immediate substans: quemadmodum fidei in Benevolentiam
50 divinam substat hujus universalitas, ex qua Meriti universalitatem seqvi

manifestum est. Fieri quidem non potest, ut, qui gratiam Dei propter Christi satisfactionem sperat, non cogitet, an illa satisfactio tam uber sit, ut ipse ea potiri possit, an Deus etiam velit, ut ipse ea fruatur? Sed eo ipso, quando quis bonitati divinae ob meritum Christi confidit, non necessum est fieri, ut simul uno conceptu de Universalitate vel Sufficientia sollicitus sit, modo firmiter & indubitato eam praesupposuerit: sunt verba B Hulsemanni in Dissertat. de dogmatibus ad salutem creditu necessariis p. m. 491.

(VIII.) Fiduciali meriti Christi applicationi praelucet Cognitio Christi & assensus promissioni Evangelicae praebitus.

10 (IX.) Peccator credens, se ex Gratia Dei propter satisfactionem Christi vera fide apprehensam aeternae salutis compotem fore, praesupponit dogmata divina de morte, quatenus est transitus ad aeternam vitam, de Resurrectione Mortuorum & iudicio extremo. Quae partes doctrinae Christianae jam recensita fidei praesupposita exponunt, communiter vocantur Articuli fidei fundamentales
15 antecedentes.

Prob. c. Articulis fidei fundamentalibus consequentibus explicantur ea credenda, quae fidem justificantem consequuntur, firmant & a posteriori certificant, servant & augent, exerunt & declarant. E quorum censu est

20 (I.) Articulus fidei de Verbo Dei ut Gratiae & salutis medio. Quamvis enim illud supra retulerimus inter causas proximas generandae fidei, crebra tamen ejus Meditatio, Auscultatio & Lectio fidem stabilis & auget. Docet id Apostolus Petrus I. Ep. c. II, 2. 'Tanquam modo geniti infantes verbale sincerum Lac desiderate, ut per illud crescatis.' Verbum Dei non tantum est semen, quo fides generatur I. Petr. I, 23. sed & lac defecatum, quo illa nutritur, augetur & roboratur.

25 (II.) De Sacramento Baptismi, posset forte quispiam doctrinam de Baptismo Articulis fidei fundamentalibus constitutivis accensere, quia infantes eodem regenerantur. Joh. III, 5. & Christum induunt Gal. III, 27. At infantes efficaciam Baptismi potius sentiunt, quam ut notitiam de Baptismi efficacia
30 praesupponant.

(III.) De Sacramento Coenae. Est enim illud a Salvatore institutum, ut in & cum pane sumptum Christi verum & substantiale Corpus quemvis sumentem certificet, illud Corpus, quod edit, pro ipso esse in mortem traditum; quem bibit sanguinem pro ipso in singulari & in individuo fustum esse, quo
35 firma & indivulsa fiducia salvatori suo adhaerescat.

(IV.) de Unione mystica animae renatae cum Deo, ex qua oritur Fidei confirmatio, & ejusdem sensus. De sensu fidei loquitur Apostolus 2. Cor. XIII, 5. 'Vos ipsos tentate, num sitis in fide, vos ipsos probate. Aut (num) non cognoscitis vos ipsos, quod Jesus Christus in vobis sit.' In quibus Jesus
40 Christus gratiose habitat, illi cognoscunt, se ipsos Christo per fidem esse insitos, dum fidem suam tentant & probant ex proposito pie vivendi, ex pace conscientiae gaudio interno, & spe viva, ad quam renati sunt per Resurrectionem Christi ex mortuis. I. Petr. I, 3. Qui autem accurato examine probat fidem suam, hujus sensum & experimentum habet. De confirmatione fidei idem in-
45 quit Apostolus 2. Cor. I, 22. 'Deus obsignavit nos & dedit arrabonem Spiritus in cordibus nostris.' Deus, misso suo Spiritu Sancto in corda nostra, fidem, justitiam & spem futurae haereditatis confirmavit.

(V.) de Renovatione sive sanctificatione, cujus effecta sunt bona opera, quibus viva fides profertur & ostenditur; & quibus non sequentibus fidem justificam, haec extinguitur & evanescit. Cujus nos monet S. Jacobus c. II, 18. 20.

'Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis. - - Visne vero scire, O! homo vane, quod fides sine operibus mortua sit?' Ut praesentia operum a posteriori praesentiam fidei justificantis demonstrat; ita absentia B.O. fidei mortuae est indicium.

5 (VI.) de Ecclesia. Cum enim Christus sit caput & Rex Ecclesiae defensus eandem, ne portae inferorum ipsam opprimant. Matth. XVI, 18. fiducia renatorum maxime solidatur, quoniam confidunt, se tanquam viva Ecclesiae membra sub Regimine ac Praesidio Christi, ac Diaboli insidiis, mundi illecebris non magis, quam fremitu, atque praedominio carnis defensum iri.

10 (VII.) De Ministerio Ecclesiastico, cujus opera Spiritus Sanctus utitur ad applicandum homini salvando media Gratiae & salutis. Quapropter Apostolus graphice depingit officium Ministrorum Ecclesiae. I. Cor. IV, 1. 'Sic nos reputet homo tanquam Ministros Christi & Oeconomos Mysteriorum Dei.' Qui habendus & reputandus est tanquam Minister Dei, ille fide divina aestimandus
15 est Organum divinum, quo ad excitandam & confirmandam fiduciam in Christum Spiritus Sanctus utitur.

Q. 21. Quinam Articuli fidei fundamentales secundarii?

Articuli fidei fundamentales secundarii sunt, quorum simplex ignorantia non officit saluti; pertinax autem negatio vel impugnatio fundamentum fidei
20 labefactat. Quales sunt partes doctrinae Christianae de personarum divinarum proprietatibus characteristicis, de Communicatione Idiomatum in Christo. De peccato Originis. De Decreto Electionis intuitu fidei finalis. De Justificatione peccatoris per solam fidem excluso bonorum operum merito & c.

Obs. I. Articuli fidei secundarii non tam integra sunt capita doctrinae
25 fidei, quam illorum partes & declarationes. Dicuntur Articuli fidei sensu distributivo, quatenus sunt dogmata divinitus revelata cum fundamento fidei & salutis cohaerentia. Merentur & retinent nomen Articulorum fundamentalium, quia negatio alicujus Articuli secundarii necessario & semper importat errorem fundamento fidei & salutis indirecte adversantem, & quo per Consequentiam
30 ipsum fundamentum, vel aliquid, quibusque quo id salvum esse non potest, destruitur.

Obs. II. Quamvis simplex ignoratio Articulorum fidei secundariorum non officiat saluti, omni tamen ope contendendum est Doctoribus Ecclesiae & Scholarum, ut Christiani incipientes subinde majores in cognoscendis salutaribus
35 dogmatibus progressus faciant. Sic enim futurum est, ut Articulis fundamentalibus primariis, quorum declarationes quaedam sunt Articuli secundarii, proniorem & validiorem assensum praebeant.

Q. 22. Num omnes Articuli fidei fundamentales ἀπολεξεί sive verbotim in sacra Scriptura comprehenduntur?

40 Quidam Articuli fidei fundamentales ῥητῶς sive disertis verbis in sacris Literis leguntur. Quidam διανοητικῶς & secundum rem tantum in sacra Scriptura continentur, qui per manifestam & immotam Consequentiam ex illa percipiuntur.

Q. 23. Quinam Articuli fidei sunt non-fundamentales?

Articuli fidei non-fundamentales sunt partes doctrinae Christianae, quae citra jacturam salutis ignorari & negari possunt.

5 Prob. Exemplis. Constat, quaedam dogmata divinitus revelata in utram-
que partem ventilari. v. gr. Sintne aquae, divinitus locatae supra expansum,
nubes, an aquae supra coelestes? Sitne mundus conditus tempore verno an
auctumnali? Utrum primum peccatum Angelorum lapsorum fuerit invidia, an
superbia? Sitne futurus mundi interitus substantialis, an accidentalis? Qvod
10 si peccator aeternam salutem adepturus aquas supra coelestes ignoraverit, aut
negaverit, nec spe salutis excidet, nec destruet fundamentum fidei, quippe quod
ejusmodi Quaestiones aut assertiones non attingunt.

15 Observ. In his extraordinalibus dogmatibus caute versemur, neque te-
mere amplectemur errorem, ne in ipsam Revelationem Dei peccemus. In pri-
mis contra Conscientiam & cum seductione aliorum nil doceamus, neque in ul-
lum Articulum fidei fundamentalem impingamus.

Q. 24. Suntne omnes Articuli fidei cognitu aequae necessarii?

20 Omnes Articuli fidei fundamentales sunt cognitu necessarii, sed dispari
necessitatis gradu. Nam qui Articuli fidei tum ipsam salvificae fidei defini-
tionem ingrediuntur, tum generandae fidei immediate substant, homini sal-
vando creditu sunt maxime necessarii. Reliquorum Articulorum fidei quidam
positive & directe, quidam negative & indirecte creditu sunt necessarii. Et
si consideremus homines credentes, non eadem cognitionis mensura ab omni-
bus & singulis exigitur.